


LC  
4  
166



c.B. 100099 1/2 775

FRV 362

FRXVII/97

(Se)

~~Handwritten scribbles~~ mod. del u.  
y Colig. de Hanna G  
Handwritten signature

*[Faint, illegible cursive handwriting]*

COMPENDIUM  
THEORICÆ,  
SEU  
RUDIMENTA  
ARTIS NOTARIÆ,

COMPENDIUM

THEORIAM

DE

NUMERIS

ARTIS NOTARIE

COMPENDIUM  
THEORICÆ,  
S E U

RUDIMENTA  
ARTIS NOTARIÆ,

EX QUAMPLURIMIS EJUSDEM ARTIS  
Auctoribus compilata

A PETRO JOANNE PERERA, ET BLASCO,  
*Apostolica, atque Regia auctoritatibus Notario Publico, &  
de Numero Collegii Dertusæ, ejusque Priore, ac pro  
ipsius Civitatis Populo in Patrio Conventu,  
actu Personario Syndico,*

CUM REGIARUM ORDINATIONUM  
ad Artem Notariæ pertinentium insertione, atque  
in hac impressione nonnullarum  
aliarum additione.

IPSI MAGNIFICO, ET DISCRETO  
Collegio dicatum.

CUM SUPERIORUM PERMISSU



Figueriis: Ex Officinâ Ignatii Portèr Typographia,  
Anno Domini M.CC.LXXII.

EX MARCO TULIO CICERONE

*Lib. 2. de Divinat.*

EROTIMA,

SEU

INTERROGATIO.

*Quod enim munus Reipublicæ afferre majus, meliusve  
possimus, quam si doceamus, atque erudimus  
juventutem?*



MAGNIFICO, & DISCRETO COLLEGIO  
Notariorum publicorum, & de Numero  
Civitatis Dertusæ.



*RECTA* quippè nos ad retributionem  
dati accepta largitio, ait Salvianus,  
(1) & acceptum beneficium æterna me-  
moria infingendum est, juxta Stoici  
Corduvensis Philosophi sententiam  
(2), & quidè meritò, nam ut censuit  
alter ille Peripateticus: *Memoria est*

*SCRIBA intus manens*, (3) qui de acceptis beneficiis  
notam sumit, ad hoc, ut illorum sit gratitudo perennis,  
diuturnitateque temporis oblivioni non subjaceant, quia  
*nihil est grato animo honestius*. (4)

Hiscè enim ego doctrinis instructus, dum me gratum  
exhibere peropto, non alium, nisi Te, venerabile Col-  
legium Notariorum publicorum, & de Numero Civita-  
tis Dertusæ, in istius *Compendii* Patronum invocare va-  
leo, nam si aliter exequi perpenderem, in horribili  
ingratitude vitio lapsus crederer, atque oblivioni  
obrutus, quod merui (etsi immeritus) in primo ejusdem  
Collegii Collegarum Numero inscribi tempore, quo  
S. C. R. M. Domini nostri Ferdinandi Sexti, in Hispania  
tunc

- 
- (1) Salvian. lib. 2. de Eccles.  
(2) Seneca ad Luc. epist. 28.  
(3) Aristot. de Rhet.  
(4) Seneca ut supra.

tunc foeliciter regnantis, & nunc, ut piè credimus, in  
coelestia Regna gaudentis, dictum Collegium antiquissi-  
mè erectum instaurare dignatus fuit, cum regia Schedu-  
la data Matriti 18. Januarii 1753. ipsique Collegio ap-  
tiores largire Ordinationes, ex quibus multum Tibi ar-  
rogat illa, perquam duodecim Collegiarum Numerus  
assignatur; nam si Rex Regum, & Dominus Dominan-  
tium duodecim super Israel statuit Judices, qui Popu-  
lum rexerunt (5), duodecim in hoc Populo Dertusensi  
statuit Rex noster Judices Notarios (6), qui hominum  
Dertusensium gesta, nedum in æquitate regant, sed &  
ordinatè decernant, officium namque Notarii in summa  
veritate consistit, sicut & *Judicis est semper in causis ve-  
rum sequi*. Si duodecim Deus Viros, omni virtute præ-  
ditos, Apostolos elegit divinæ Fidei conservatores (7),  
duodecim & etiam Viros adscriptos S. C. R. M. in hac  
Urbe, & humanæ fidei unusquisque foret archetypon. Si  
filiis Israel per duodecim fontes in Elim fluenta mana-  
runt (8), sic similiter per duodecim Notarios (fontes  
veritatis) fluenta Justitiæ filii Dertusæ manere videmus;  
& si tritum est, quòd *virtus unita fortior*, & *Collegium*  
idem ac *unio* sonat, dum meorum Connotariorum virtu-  
tes in hoc miror Collegio congregatas, fas mihi sit cum  
Psal-

---

(5) Lib. Judic.

(6) Petrus Philip. Corn. *conf. 238. volum. 2. : Notarius est  
Judex chartularius &c.*

(7) Luc. *vers. 13.*

(8) Exod. *15. vers. 27.*

Pſalmiſta de cantare : *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum*, (9), & prorumpere cum Minorita Polo, quòd *duodenarius numerus* ( id eſt, hoc duodenarium Dertuſenſe Collegium ) *plenam, conſummamque virtutem adumbrat.* (10)

Tibi igitur, Magnifico & Diſcreto Collegio, hoc mei laboris ſyntagma obſequioſa voluntate dico, humiliterque Te precor, ut Tuo cum notiſſimo magiſterio, errores, & defectus à me in hoc Opere perpetratos, corrigere & emendare, hancque meæ gratitudinis oblationem, quæ, licèt exigua, cum *exhibitio*, ſit operis probatio eſt *amoris*, admittere digneris, pariter & præcipere cunctis Tyrunculis, quando praxim Notariæ in aliquo Collega inire incipiât, ut hujus *Compendii* decorationem iteratè non deſinant, ac inter ſe conferant, etiamſi opus fuerit, aliquem Collegam, qui eis præſideat, atque dubia patefaciat assignare ; ita enim hiſce rudimentis imbuti, hâcque Theoricâ illuminati, ſcientifici efficiuntur Thabelliones, qui huic noſtræ Dertuſenſi Reipublicæ fructum afferent, & tam Diſcreti Collegii huc uſque meritò acquiſitum honorem, nedùm incolumen ſervent, verum etiam in dies coruſcari facere mereantur : ſic Omnipotentem humiliter ex orat

Tui minor, & obſequentiſſimus  
Collega

*Petrus Ioannes Perera.*

LI.

---

(9) Pſalm. 132.

(10) Polo *Diar. ſacr. profan. tom. 2. num. 151. in fin.*

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS DON FRANCISCO MANUEL

*de Rivero, Presbitero, Doctor en ambos Derechos, Abogado de los Reales Consejos, y en lo Espiritual, y Temporal Provisor, Oficial, y Vicario General por el Illustrissimo, y Reverendissimo Señor Don Bernardo Velarde, por la gracia de Dios, y de la Santa Sede Apostolica, Obispo de Tortosa, del Consejo de su Magestad &c.*

**P**OR la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia, paraque se pueda imprimir, è imprima el Libro intitulado: *Compendium Theorica, seu Rudimenta Artis Notaria*, compuesto por Pedro Juan Perera, y Blasco, Notario Publico Apostolico, y Real del Numero, y Collegio de esta Ciudad de Tortosa, mediante à que de nuestra orden, y comission ha sido visto, y reconocido por Don Juan Bautista Sainz Madrazo, Presbitero, Doctor en ambos Derechos, Abogado de los Reales Concejos, Rector de la Parroquial Iglesia de la Villa de Nules de este Obispado, y de su censura consta, que no contiene cosa alguna opuesta à nuestra Santa Fè Catholica, y buenas costumbres. Dada en el Palacio Episcopal de la Ciudad de Tortosa, à los veinte y dos dias del mes Enero del año mil setecientos sesenta y ocho.

*Dr. Rivero, Vic. Gen.*

Por mandado del Ill. Sr. Provisor,  
Offic. y V.G.

Lugar del Sello.

*Nicolàs Passanan Not.*

# AD LECTOREM.



COMPENDIUM Theoricæ Artis Notariæ  
( amantissime Lector ) non audacter, sed  
pio, ac animo benevolo tibi proponere  
ausus suum; non cenodixia docendi, non  
fama scribendi, aut laudatio magistrandi  
meum acuere calamum, sed tantum deploranda, atque  
detestanda consuetudo hujus sæculi, in quo quampluri-  
mos Adolescentes videmus ad Notariæ laureolam ascen-  
dere velle absque ulla intellectus illuminatione, cogitan-  
tes cum sola practicali industria discretos esse Notarios,  
& Reipublicæ posse rectè servire; sed hinc est, quod isti  
tales appellantur *Notaris de formulari*, in quibus quotidie  
errores maximi, & graves commissi agnoscuntur ea cer-  
tè de causa, quia in ordinatione instrumentorum sequ-  
untur illam formulam, quam scriptam inveniunt, eisque  
videtur accommodari contractui, quem perficiunt, &  
sæpè sæpius scribunt clausulas, & renuntiationes, quæ  
minimè tali conveniunt contractui, & hoc verè procedit  
ex defectu Theoricæ, quia non rectè procedi potest ad  
practicalis industriæ promptitudinem absque artificialis  
Theoricæ rationibus, hoc est, absque illuminatione in-  
tellectus, & cogitatione veritatis; nullus enim esse valet  
in illa, quam profitetur arte perfectus, si in istius medi-  
tatione opera non quiescunt; ita Vegesius: *Antiqua, pru-  
densque sententia fuit, artes in meditatione consistere.*

b

(1) Et

(1) Et licet quamplurimi, postquam Notariæ laureola sunt condecorati, afflictè cognoscunt suæ practicæ debilitatem fundamenti, verumtamen, sicut tarda medicina non curat ægrotum,

*Principiis obsta, serò medicina paratur,*

*Cum mala per longas convaluere moras.* (2) Et

Et nullus in fine versatur in eo, quo non fuit à principio propensus, quia *virtutes insunt nobis secundum aptitudinem, & inchoationem.* (3) Et

*Qui non est hodie, creas minus aptus erit.* (4)

Ita & ipsi orbatii plorant in senectute quæ propensi potuerant obtinere in juventute, nam *quod in juventute non discitur, in matura etate nescitur* (5); liceat ita mihi enarrare quemadmodum ita licuit experiri, quoniam *qui navigant mare, enarrant pericula ejus.* (6)

Altera est quoque mihi impulsiva causa, scilicet, quòd quisque Notarius prima die, qua in se admittit Tyrumculum scriptorem, isti porrigit quemdam Theoricæ Artis Notariæ manuscriptum Codicem, ad hoc ut sibi copiam assumat; verùm cum ille Codex fuit dicto Notario in suæ practicæ principio, & dum nullam adhuc intellectus illuminationem assecutus fuerat, ab altero sui Magistri transcriptus; hinc est, quòd non leviter, sed substantia-liter erratus est, & cum error errorem invocat, gradatim de

---

(1) Veges. lib. 1. cap. 22. (2) Ovid. de remed. amor.

(3) D. Thom. 1. 2. quæst. 51. (4) Ovid. ut supra.

(5) Theodor. apud Casidor. (6) Eccles. 43. num. 26.

de uno subsequitur in alium, & ferè omnes Notarii Theoricam retinet erratè conscriptam, quia *impossibile est ex primo errore in principio commisso, non devenire ad extremum aliquid mali*: (7) Ipse ego, licèt per quadruplos Notariæ praxi versaverim annos, atque de ipsa cum peritioribus absque intermissione contulerim, ita in dies præ inscitia verecundabar, ut postquam per lucem meum colebam officium, totus per tenebras tiligiter excubebam, & super his, quæ difficilia in praxi per diem accedebant, in Tabellariæ Artis Auctoribus diligens per noctem scrutabar, cumque ad meum Theoricæ Artis Notariæ manuscriptum codicem (quem transcripsi in meæ practicæ primordiis) multoties accessissem, tantis ipsum erroribus complicatum lectitavi, ut pro meorum instructione Tyronum, potius novum inscribere malui, quam omnino malè scriptum emendare, ad hoc ut non ab incunabulis errarent, nam exinde sequitur summa Notariorum imperitia, quando isti, tam in Municipali Jure, quàm in multa communis parte mediocriter adminus instructi esse debent, aliter enim in contractuum ordinatione, ultimarumque voluntatum formatione, sicut ipsi in irremediabiles incidunt errores, ita & contrahentes, atque testatores quamplurimis vexantur incommodis, unde D.D. Ripa, (8) Crotus, (9) & Cognolus (10) asserunt accuratè, quòd

---

b 2

imperi-

(7) *Aristot. lib. 1. Politic. cap. 1.*

(8) *In leg. Centur. ff. de Vulg. & pupil. Substitut. n. 20.*

(9) *In leg. Secundum 10. vers. Tertius casus ff. de V. O.*

(10) *In leg. Lib. n. 3. ff. de Regim. Jur.*

imperitia Notariorum, istorumque super contractibus, & ultimis voluntatibus legalium dispositionum ignorantia, est amabilis commercii, & civilis mundi tranquillitatis destructio; & multo melius ad rem D. Aquiles, ibi: *Ergo clausula codicillaris in secundo testamento inserta nihil operatur, si Notarius in hac legali scientia non sit litteratus, sed oportet, quod in hac legali scientia peritus sit, taliter quod clausulam codicillarem testatori, & ejus importantiam declarare possit.* (11)

Inde est, quod non me, ut dixi, ad hujusce *Compendii* produxerunt adduxit cenodixia, imò potius sola beneficii cupiditas, seu verius instruendi Notariæ Tirunculos, pro quibus Deum Optimum Maximum que præcor, ut quod institui in animo ad tam præclaræ Artis inchoationem, ipsis foeliciter, totique Reipublicæ cedat, hoc enim proculdubio consequentur, si ad istius brevissimi *Compendii* studium operam incumbunt, merenturque ita dinumerari inter illos foelicissimos Notarios, de quibus Illustrissimus Zemorensis Rodericus ita fuit affatus: *Quorum manibus admiranda fide, instrumenta, privilegia, & litteræ ad perpetuum rei memoriam conficiuntur, & post multa temporum secula, ex horum sola Notariorum subscriptione, indubitata probationem inducunt* (12); & non mirū, cum nihil charius, nihil pulcrius, nihilque amabilius quàm Notaria excogitari possit. (13) Au-

---

(11) Io tractat. de Petition. hered. n. 59.

(12) In Spec. vite human. cap. 19.

(13) Magonio, de Art. Notaria, cap. 31. n. 1.



Audio, te mihi inferentem, quòd quamplurimos Codices ex Theorica Artis Notariæ pro suis diversis partibus scriptos, in lucem jam ediderunt discretissimi Notarii, & præcipuè antiquus *Tarrassa*, sub hoc eodem meo titulo; itaque hoc meum *Compendium* supervacaneum vel licaris cum illa Pythagorica parcœmia: *In silvam ne ligna feras.* (14) Et licèt ita tibi verum fateor, sed tamen quisque incorruptè judicans, perutile perpendet *Compendium* hoc namque in materia tam valdè Reipublicæ necessaria, *etsi sæpè dictum est, dicendum tamen est sæpius,* (15) atque si ea, quæ jam scripta sunt interum scribi non possent, proculdubio omnes ferè Scriptores, tam sacri, quàm profani, in vanum arripuere calamum, cum certum sit, quòd jam Maximus Ecclesiæ Doctor in suo tempore dixit: *Nihil dictum quin prius fuerit dictum.* (16) Quamvis equidem plures sint editi ex Notaria Codices, non omnibus annis omnia conveniunt, & temporis diuturnitatis ipsos Codices ferè deperdidit, & non deperditos spernit ignara juvenus jam ob inscriptionis vetustatem, jam ob narrationis prolixitatem, & jam ob jurium allegationum intermissionem, licèt non vetustas, non prolixitas, non intermissio cupienti scire debeat fatigare, nam

---

(14) Pythagor. apud D. Hyeron. lib. 1. contra Pelag.

(15) Illustris Canarien. Melchior Canus, lib. 8. de lotis Theolog. cap. 5.

(16) D. Hyeron. in cap. 1. Eccles. ad illa verba: *Nihil sub sole novum.*

nam ab antiquis venit notitia, à multa narratione depro-  
mitur doctrina, & à jurium allegationibus justificatur  
veritas; sed quia verum est, quòd majores nostri potius  
pro Magistris, quàm pro Tyrunculis scripserunt, & is-  
torum utilitatem mens mea flagranter exoptat, & ut isti  
non prolixitate fatigati, & à calamandi Theoricam la-  
bore dispensati, hæc primaria nostræ Artis rudimenta  
memoriæ tradere faciliter affectent, hoc *Compendium*  
ipsis offerre curavi, non dum breve, sed brevissimum,  
quia *omnis doctrina quò brevior, cò prestabilior erit*, (17)  
intellectuque facilior, juxta Horatii consilium

*Quidquid præcipias, esto brevis, ut citò dicta*

*Percipiant animi dociles, teniantque fideles.* (18)

In hoc *Compendio* nihil meum perleges, neque elegan-  
tiam in vocibus, nam *oratio necessaria est quæ rem expli-  
cet, non quæ verborum compositione frondescat*, (19) & non  
opus est, quòd *delectent verba, sed prosint, oratio sit  
talis, ut res, potius quàm se ostendat*; (20) prius enim est  
curanda utilitas, quàm eloquentia monstranda, quia *non  
querit ager Medicum eloquentem, sed sanantem.* (21)  
Omne quod bonum videris paraphrasticè, & non anti-  
graphe compendiatum est ex eruditissimis Rolando Bo-  
noniensi

---

(17) Laud. Canus *lib. 7. cap. 1. pag. 7.*

(18) *De Art. Poet. pag. 169.*

(19) D. Hyeron. *epist. ad Damas.*

(20) Seneca *epist. 75.*

(21) Idem, *ibidem.*

noniensi Notariæ Artis Principe meritissimo , Petro de Boateriis Illius Expositore , Petro de Unzola , Joanne de Gradibus , Gerardo Mulert , Petro Dominico de Musis , Navès , Salatiel , Canis , Tarrassa , Solsona , Corbera , Ribera , Arguello , Villroel , Torneo , Palomares , Margarejo , Siguenza , Bustoso , Ripia , Colom , Gali , Comes , & aliis laudandis in Notaria Magistris , namque sicut inter Jurisconsultos jactatur adagium : *Erubescimus cum sine lege loquimur* , ita & erubescerem Ego , si aliquid absque alicujus veteris Magistri testimonio ausus forem enunciare : *Vtile quidem est plures à pluribus libros fieri , non diversa fide , etiam de quæstionibus eisdem , ut ad plurimos res ipsa perveniat , ad alios sic , ad alios autem sic* , (22) & non me puderet ita fateri , quia *ingenui pudoris est fateri per quos proficicerimur* ; (23) & si aliter sustinere maluero , convincere ab eloquentiæ Magistro , dicente : *Tu quidem à Nevio , vel sumpstisti multa , si fateris , vel si negas , surripuisti* : (24) aliquantulum laboris in compilatione solum ex mea parte adhibitum invenies , sed omne quod malum , ex me est , juxta Vatis Bilbilensis disthicon

*Quem recitas tuus est , ò Phidentine , libelus ,*

*Sed malè dum recitas incipit esse tuus .* (25)

Si tibi Notario non placitum fuerit *Compendium hoc* ,  
quia

---

(22) D. Agust. *lib. de Trinit. tom. 3. pag. 87.*

(23) Plin. *in epist.*

(24) Cicer. *ad Brut.*

(25) Martial. *epigram.*

quia jam peritus es, & provectus in Notariâ, lauda Deum, qui te in hac scientia dotavit, & perpende, quod non tibi erudito, sed simplicibus dirigitur Notariæ Tirunculis, sicut *Psallere rectè docet pullos Philomela tenellos*, sicque illud benigniter approba, & non mordaciter spernas; nam si clamaveris: *Durus est hic sermo*, (26) Ego itidem conquerar, *si discipuli (si Notarii) durum habuerunt istum sermonem, quid inimici?* (27) Miserrimum enim foret occidi ab eo ipso, à quo juvandus sum! At enim fac ut velis, namque scio, quòd

*Mille hominum species, & rerum discolor usus,  
Velle suam cuique est, nec voto vivitur uno.* (28)

Et nedum apud Ethnicos in proverbio fuit: *Quot homines, tot sententia*, (29) sed & nunc Catholicos veritas est Evangelica. (30) Et si nihil ex hoc Opusculo à mei ingenii tenuitate profectum amplexari velis, audi Plinii trilemam: *Sive plus, sive minus, sive idem præstas, lauda superiorem, vel inferiorem; superiorem, quia nisi ille laudandus est, non potest ipse laudari; inferiorem, aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri quem*  
præ-

---

(26) Joann. 6. vers. 31.

(27) D. August. tract. 27. in Joann.

(28) Pers. satir. 5.

(29) Publ. Teren. Phorm. act. 2. scen. 3.

(30) Math. 16. vers. 13. *Quem dicunt &c. alii &c. alii &c.*



**T**iene Licencia de los Superiores, Ignacio Portèr,  
para reimprimir en lengua latina este Libro in-  
titulado: *Compendium Theoricæ, seu Rudimenta Artis*  
*Notariæ*, escrito, y compuesto por Pedro Juan Pere-  
ra y Blasco, Notario Publico, y de Numero de la Ciu-  
dad de Tortosa, &c. Gerona à 4. de Febrero de 1771.

---

*Marcillo V. G. & Off.*

---

Gerona à 4. de Febrero 1771.

---

REIMPRIMASE.

*Torres.*

SYNOP.



# SYNOPSIS

CAPITULORUM, ET PARAGRAPHORUM,  
quibus hoc Compendium  
perornatur.

## LIBER PRIMUS.

**C**AP. I. §. 1. de Contractibus in genere. pag. 15.

§. 2. de Contractu nominato. pag. 18.

§. 3. de Contractu in scriptis &c. pag. 20.

Cap. II. §. 1. de Divisionibus personarum. pag. 23.

§. 2. de Personis reddentibus inutilem contractum  
ratione ætatis. pag. 27.

§. 3. de Restitutione, & Juramento. pag. 29.

§. 4. de Personis reddentibus inutilem contractum  
ratione conditionis. pag. 34.

§. 5. de Personis reddentibus inutilem contractum  
ratione morbi. pag. 38.

§. 6. de Personis reddentibus inutilem contractum  
ratione delicti. pag. 39.

Cap. III. §. 1. de Rebus super quibus contrahi non potest.  
pag. 40.

*Synopsis Capitulorum.*

- Cap. IV. §. 1. de Obligationibus in genere. pag. 44.  
§. 2. de Stipulatione. pag. 47.  
§. 3. de Hypoteca. pag. 49.  
§. 4. de Precario. pag. 52.  
§. 5. de Pignore. pag. 53.  
§. 6. de Fidejussore. pag. 54.  
§. 7. de Actionibus. pag. 57.  
Cap. V. §. 1. de Pactis. pag. 59.  
§. 2. de Poena. pag. 65.  
§. 3. de Instrumentis. pag. 67.  
Cap. VI. §. 1. de Renuntiationibus. pag. 71.

LIBER SECUNDUS.

- C**API. I. §. 1. de emptione, & Venditione. pag. 92.  
§. 2. de Arrha. pag. 96.  
§. 3. de Possessione. pag. 97.  
§. 4. de Eviictione. pag. 99.  
§. 5. de Usufructu. pag. 101.  
§. 6. de Servitutibus. pag. 102.  
§. 7. de Terrenario, & Superficiario. pag. 103.  
§. 8. de Censualibus mortuis, & Violaris. pag. 104.  
§. 9. de Permutatione. pag. 107.  
§. 10. de Insolutum datione. pag. 109.  
Cap. II. §. 1. de Donatione inter vivos. pag. 110.  
§. 2. de Revocatione donationis. pag. 116.  
§. 3. de Insinuatione donationis. pag. 117.



*Synopsis Capitulorum.*

- Cap. III. §. 1. de Feudis. pag. 118.  
§. 2. de Investitura. pag. 121.  
§. 3. de Homagio. pag. 122.  
§. 4. de Diversitate feudorum. pag. 123.
- Cap. IV. §. 1. de Emphiteosi. pag. 125.  
§. 2. de Laudemio. pag. 130.  
§. 3. de Fatica. pag. 132.  
§. 4. de Amortifatione. pag. 134.
- Cap. V. §. 1. de Dotibus. pag. 136.  
§. 2. de Donatione propter nuptias. pag. 140.  
§. 3. de Sponsaliis. pag. 143.  
§. 4. de Matrimonio. pag. 145.
- Cap. VI. §. 1. de Mutuo. pag. 147.  
§. 2. de Commodato. pag. 151.  
§. 3. de Deposito. pag. 153.  
§. 4. de Delegatione. pag. 155.
- Cap. VII. §. 1. de Cessione. pag. 156.  
§. 2. de Transactione. pag. 158.  
§. 3. de Pacto de non petendo. pag. 160.  
§. 4. de Acceptilatione. pag. 161.  
§. 5. de Aquiliana stipulatione. pag. 162.  
§. 6. de Solutione. pag. 163.
- Cap. VIII. §. 1. de Locatione, & Conductione. pag. 165.  
§. 2. de Socida. pag. 168.  
§. 3. de Electione. pag. 169.
- Cap. IX. §. 1. de Compromissis. pag. 170.  
§. 2. de Pace, & Tregua. pag. 174.

*Synopsis Capitulorum.*

- §. 3. de Societate. pag. 175.  
§. 4. de Divisione. pag. 177.  
§. 5. de Novi operis nuntiatione. pag. 178.  
Cap. X. §. 1. de Adoptione, & Arrogatione. pag. 180.  
§. 2. de Professione, & Offertione. pag. 183.  
§. 3. de Manumissione. pag. 184.  
§. 4. de Emancipatione. pag. 183.  
§. 5. de Procuracione. pag. 184.

LIBER TERTIUS.

- C**AP. I. §. 1. de Testamentis in genere. pag. 187.  
§. 2. de Personis, quæ testari non possunt. pag. 192.  
§. 3. de Testamento solemnī. pag. 195.  
§. 4. de Testamento nuncupativo. pag. 197.  
§. 5. de Testamento sacramentali. pag. 201.  
Cap. II. §. 1. de Legatis. pag. 202.  
§. 2. de Falcidia. pag. 205.  
§. 3. de Manumisso. pag. 206.  
§. 4. de Tutela. pag. 207.  
§. 5. de Cura. pag. 211.  
§. 6. de Inventario. pag. 212.  
Cap. III. §. 1. de Institutione hæredum. pag. 215.  
§. 2. de Hæredum qualitate. pag. 219.  
§. 3. de Legitima. pag. 223.  
§. 4. de Trabellianica. pag. 224.  
§. 5. de Exhæredatione, & Præteritione. pag. 225.  
Cap.

*Synopsis Capitulorum.*

- Cap. IV. §. 1. de Sstitutionibus in genere. pag. 227.  
§. 2. de Vulgari. pag. 229.  
§. 3. de Pupillari. pag. 231.  
§. 4. de Exemplari. pag. 234.  
§. 5. de Breviloca. pag. 235.  
§. 6. de Compendiosa. pag. 236.  
Cap. V. §. 1. de Codicillis. pag. 239.  
§. 2. de Clausula Codicillari. pag. 240.  
Cap. VI. §. 1. de Donatione causa mortis. pag. 242.  
§. 2. de Testibus ultimarum voluntatum. pag. 244.

LIBER QUARTUS.

- C**AP. I. §. 1. de Judiciis Civili. pag. 246.  
§. 2. de Judiciis Criminali. pag. 253.  
§. 3. de Exemplificationibus. pag. 254.  
Reales Ordenanzas de 29. de Noviembre de 1736.  
pag. 259.  
Real Provision del mismo dia, que prohibe à los Parro-  
chos, y Notarios Apostolicos recibir contratos &c.  
pag. 266.  
Real Provision de 8. de Junio de 1739. ganada por el  
Estado Ecclesiastico. pag. 277.  
Reales Ordenanzas de 24. de Julio de 1755. pag. 283.  
Resolucion de su Exc. y Real Audiencia de las dudas  
propuestas por los Colegios de Notarios de Berce-  
lona. pag. 289.

*Synopsis Capitulorum.*

Real Provision de 3. de Julio de 1761. ganada por el  
Duque de Medina-Cœli, y Cardona. pag. 291.

Real Pragmatica de la reduccion de los Censales de el  
5. al 3. por 100. pag. 299.

Real Provision sobre la inteligencia de la precedente  
Real Pragmatica. pag. 305.

Real Cedula de 18. de Agosto de 1771 pag. 319.

COMPENDIUM  
 THEORICÆ,  
 SEU RUDIMENTA  
 ARTIS NOTARIÆ.

PRÆFATIO.

DE ETYMOLOGIA, OFFICIO, DIGNITATE,  
 & Obligationibus Notarii.

**V**ETUSTISSIMA Ars Notariæ, pro sui esse perfecti materiali causa, & fundamento, exposcit duo: Theoricam scilicet, & Practicam; Theorica dicitur à *Theos*, quod est Deus, & *Icos* scientia; nam sicuti Deus omnia videt, & cuncta intelligit, ita verè Theoricus, proportionè servata, videt omnes regulas, & cuncta suæ Artis intelligit præcepta; & à *Theos* oritur verbum Theorare, id est, subtiliter videre.

Ex præmissa Etymologia colligitur quomodo Theorica diffinienda sit in communi. Est enim: *Illuminatio intel-*

lectus, & cognitio veritatis circa regulas, & præcepta illius Artis, in qua versatur.

Rursus, ex prædicta communi Theoricæ diffinitione oritur particularis Theoricæ Artis Notariæ diffinitio, quæ est: *Scientia personarum, rerum, & negotiorum naturas circa civilem sapientiam rationabili investigatione comprehendens.*

Dicitur *Scientia, comprehendens naturas personarum*, id est, contrahentium, vel patientium, testantium, aut litigantium, quia ex personis multæ fiunt divisiones, & non omnes possunt omnes celebrare contractus, & similiter adjicitur *rerum, & negotiorum*, eo quia non omnes res in contractum deduci possunt, & horum omnium comprehensionem habebit Notarius, si illuminatione Theoricæ regulas, & præcepta suæ Artis investigaverit.

Habita sic intellectuali illuminatione per regulas, & Artis Notariæ præcepta, devenitur ad Practicam, quæ est: *Exercitii promptitudo, rationi deserviens*, hoc est, permanuum operationem demonstrare Theoricam, & disponere materiam per actualem, & formalem terminationem, & nedum utilis, sed & valdè necessaria est Practica, quia *omne Artificium incrementum suscipit per exercitium.*

Colligat ex præmissis Juvenis Scriptor, qui Artem Notariæ profiteri concupiscit, quòd antequam ad obtinendum Notarii titulum se existimet condignum, duo habitus

habitus habere debet, speculativum scilicet, & practicum; cum habitu speculativo contemplantur objectum, seu naturam contractus; cum habitu verò practico perficiet contractum, nam habitus speculativus in meditatione, & practicus in effectione consistit.

Ars Notariæ est: *Super legitimis hominum negotiis authenticè conscribendis, finitum, & rationabile documentum;* sicque officium Artis Notariæ est: *Dignitas, & auctoritas, ad notandum legitima hominum negotia de publico introducta, & per consequens nihil aliud est Notaria, quàm Hominum negotia publicè, & authenticè notare, quia in notis debet redigi, & instrumenta notare in Prothocollo, quod est: Prima collatio, seu matrix instrumentorum;* & qui hujusmodi Artis exercet officium, appellatur Notarius, qui est: *Persona privilegiata, ad negotia hominum publicè, & authenticè notanda, & conscribenda, & ad cujus fidem plenariè recurritur ut scribat, & ad perpetuam memoriam reducat ea, quæ inter homines aguntur;* & sumitur nomen à suo exercitio, sicuti, qui circa jura versatur, Jurista nuncupatur.

Dicitur in præscriptis diffinitionibus, quòd Ars Notariæ est: *Dignitas, & auctoritas, ad hoc, ut animaverant juvenes Scriptores, seu Notariæ Tirones, quòd vita, & conversatio eorum, etiam adhuc tempore practicæ, debet esse bonis moribus, & virtutibus perornata, nam si versaverint vitia, & appetitus, ac cum inhonestis, & libidinosis personis vitam traherent, nihil dignitatis,*

& auctoritatis ipsis affert Notaria, imò potius fides, quæ illis adhibenda erit, ab omnibus minuetur; & postquam honorificum Notarii titulum assequuti fuerint, considerent sui dignitatem officii, & ita integerrimè se habeant, ut omni odio, amore, timore, fructibus, & præmiis postpositis, sola fides, sola veritas in eis semper enitescat, & continuò mente teneant, quòd si quemcumque defectum per Notarium in suæ Artis exercitio commissum, potest Judex temporalis (ultra restitutionem læsionis parti illatæ) severissimè punire, quantò magis ab æterno Judice punietur perfidus ille Notarius, qui malitiosè, propter avaritiam, luxuriam, aut aliam utilitatem, vel passionem infideliter tabellionaverit.

Defectus malitiæ cavere valebunt, si in quacumque suæ Artis rogatione simulationes contrahentium tota cura penetrare sollicitaverint, & dona, & oblationes eorum, qui se habeat munifici contempserint, quia avaritia, seu defectus in Notario, propter avaritiam, bonum nomen infamat, & *melius est bonum nomen, quàm divitiæ multæ*; & præcipuè non deviabunt à justitia, si Deum pertimuerint: *Timor enim Dei mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, & omnis boni tribuit facultatem*, quia *initium sapientiæ est timor Domini, & laudatio ejus*, qui timet Dominum manet in æternum. Diligant ergò Notarii commodum famæ, & pecuniæ negligent incrementum; affectent bonum nomen, & non lucra causarum, melius est certè parum habere cum justitia, quàm



quàm multum cum iniquitate ; habeant conscientiam propter se ipsos , & famam propter proximum ; & tandem simplicitatem habeant columbæ , ut ne cuiquam dolum meditentur , & astutiam , seu prudentiam serpentis , ut ne aliorum supplantentur insidiis , nam sicuti vitium est decipere , ita etiam & se decipi permittere.

Defectus verò ignorantia cavere valebunt , considerando primitus , quod ad hoc ut Notarius possit conficere instrumentum , requiruntur quatuor : *Primò* , Facti commissio , id est , quod Notarius sit à Patribus verè rogatus ad confectionem instrumenti : *Secundò* , Rei cognitio , id est intelligentia negotii , seu quod Notarius intelligat , & comprehendat naturam illius contractus , quem sibi proponunt Partes : *Tertiò* , Juris permissio , id est , quòd instrumentum conficiatur de permissis , & non à jure prohibitis : *Quartò* , Testium adhibitio , id est , quod adhibeantur testes in confectione instrumenti , & sint præsentés , & rogati , saltem cum illa communi inter Notarios rogatione , scilicet : *Vms. dos , junt ab mi , lo present notari , faràn testimoni &c.*

*Item* , etiam considerando ante confectionem instrumenti , *Primò* , Ætates , & conditiones contrahentium , utrum scilicet ratione ætatis , patriæ potestatis , servitutis , aut aliis de causis infra exprimendis possint , vel non possint contrahere : *Secundò* , Qualitates , & quantitates rerum , in quibus se obligant , & quas possunt , vel non possunt distrahere : *Tertiò* , Diversitates contractuum ,

id

id est, speciem, seu naturam contractus, qui Notario proponitur, utrum sit, vel non sit legitimus, vel aliquam importet speciem usurae, quam, licet paliatam, praesertim in mutuis, debet Notarius cautè à partibus investigare, ut ab ipsa, tamquam à peste, fugare procuret: *Quartò*, Beneficia, quibus contrahentes renuntiare debent, fines, & effectus cujuscumque beneficii clarissimo sermone Partibus certiorando: *Quintò*, Numerum testimonium, in contractibus habendum: *Sextò*, Regias Ordinationes super exercitio Artis Notariae editas in hoc Principatu Cathaloniae, diebus 26. Novembris 1736. & 22. Septembris 1755.

Ex propè notatis circumstantiis rectè concluditur, quòd Notarius, ante receptionem instrumenti, debet non temerè, sed paulatim procedere, iterum, atque iterum ipsum contractum maquinae, & à partibus clarissime se informare, & post auscultationem, menti consuleri cui contractus speciei se adaptabit negotium illud sibi propositum; certum est enim, quòd ea, quae cum consilio fiunt, id est, non temerè, sed paulatim, fructum non carebunt.

Hæc de Etymologia, Officio, Dignitate, & Obligationibus Notarii dicta sint satis ad instructionem Tyronum, qui semper brevitatem peroptant; si effusius ex præmissis informare desiderant, adeant ad *Summam*; & *Viridarium* Hieronymi Gali & Ramon, & Josephi Comes, hujus Artis recentiorum Scriptorum, à quorum uberrimi-

uberrimis fontibus istius aqua *Compendii* desumpta est.



# DIVISIO ARTIS NOTARIÆ.

PRO ÆMIUM.

**M**ateriale subjectum istius Libri, ex suomet titulo patet esse *Theoricam Artis Notariæ*, & quia in cuiuscumque materiæ expositione, nedum *Divisio*, sed & *Ordo* pro claritate requiritur. *Divisio* namque est: *Ali-cujus rei in partes distributio, quæ animum legentis incitat, mentem intelligentis præparat, & memoriam artificiosè re-format*, & *ordo* est: *Parium, dispariumque rerum suo loco collocandarum debita dispositio, per quam singula quaque tenent locum sortita decenter*, proinde necessarium est, ad divisionem *Artis Notariæ* per ordinem devenire. *Ars* igitur *Notariæ* in tres principalissimas dividitur partes; nimirum, de *Contractibus*, de *Ultimis Voluntatibus*, & de *Judiciis*, & de unaquaque parte singulariter pertractabitur, breviter tamen, & summariè, ac per clarissimos *axiomas*, hoc est, *per prima principia, & propositiones per se notas, seu hypotheticas*, in quantum attinet ad *Notarios*, omittendo multa alia, quæ licèt ipsis cohærentia, magis pertinere videntur ad *Juristas*, quàm ad *Notarios*, dissentiendo in his à discreto *Josepho Comes*, qui in

tom. 1. sui *Viridarii* magis scripsisse videtur ad usum  
 Juristarum, quàm Notariorum, cum meum propositum  
 solum sit adhibere Tyrunculis principia Artis Notariæ  
 absque ulla citacione, seu Juris allegatione, pro majori  
 sequela, postquam autem fuerint Adolescentes in notaria  
 cursati, tunc adire poterunt ad dictum *Viridarium*, eis-  
 que fateor, quòd si illius nutriuntur doctrina, non solum  
 Notarii, sed etiam periti efficientur Advocati; & ideo  
 hoc *Compendium* in quatuor libros divisum adduco, in  
 quorum primo in sex Capitula partito, tractatur de Con-  
 tractibus in genere, de modo contrahendi, de his, quæ  
 concomitantur Contractus, & multis aliis, quæ sunt  
 præliminaria in Notariæ Theorica; in aliis verò tribus li-  
 bris tractatur de tribus partibus Notariæ, videlicet, in  
 secundo libro, in decem Capitula partito, de *Contracti-*  
*bus* in unaquaque eorum specie, & cum uniuscujusque  
 contractus *Diffinitione*, & *Etymologia*, namque illa, nem-  
 pe diffinitio est: *Substantiæ, naturæ rei explicatio*; ista  
 verò, scilicet *Etymologia*, *notam facit rem, de qua pre-*  
*dicatur*: in tertio libro, per sex Capitula diviso, tracta-  
 tur de *Ultimis Voluntatibus*; & in quarto, de *Judiciis*, &  
 unamquodque Capitulum, suis congruentibus membris,  
 seu paragraphis subdividitur in modum sequentem.

# LIBER PRIMUS DE TRACTATU ARTIS NOTARIÆ.

CONTINET SEX CAPITULA.

- 1 De Contractibus in genere.
- 2 De Divisionibus Personarum.
- 3 De Rebus.
- 4 De Obligationibus.
- 5 De Pactis.
- 6 De Renuntiationibus.

## CAP. I. LIBRI PRIMI.

Continet tres Paragraphos.

- |                             |                             |
|-----------------------------|-----------------------------|
| 1 De Contractibus in genere | 3 De Contractu in scriptis, |
| 2 De Contractu nominato.    | Et.                         |

## CAP. II. LIBRI PRIMI.

Continet sex Paragraphos.

- |   |  |
|---|--|
| 1 De Divisionibus Personarum.                                 | inutilem contractum ratione conditionis.                       |
| 2 De Personis reddentibus inutilem contractum ratione ætatis. | 5 De Personis reddentibus inutilem contractum ratione morbi.   |
| 3 De Restitutione, & Juramento.                               | 6 De Personis reddentibus inutilem contractum ratione delicti. |
| 4 De Personis reddentibus                                     |  |

## CAP. III. LIBRI PRIMI.

Continet unicum Paragraphum.

- 1
- De Rebus, super quibus contrahi non potest.*

## CAP. IV. LIBRI PRIMI.

Continet septem Paragraphos.

- |                                       |                          |
|---------------------------------------|--------------------------|
| 1 <i>De Obligationibus in genere.</i> | 4 <i>De Precario.</i>    |
| 2 <i>De Stipulatione.</i>             | 5 <i>De Pignore.</i>     |
| 3 <i>De Hypotheca.</i>                | 6 <i>De Fidejussore.</i> |
|                                       | 7 <i>De Actionibus.</i>  |

## CAP. V. LIBRI PRIMI.

Continet tres Paragraphos.

- |                     |                              |
|---------------------|------------------------------|
| 1 <i>De Pactis.</i> | 3 <i>De De Instrumentis.</i> |
| 2 <i>De Pœna.</i>   |                              |

## CAP. VI. LIBRI PRIMI.

Continet unicum Paragraphum.

- 1
- De Renuntiationibus.*

---

# LIBER SECUNDUS

## DE CONTRACTIBUS.

CONTINET DECEM CAPITULA.

- 1 *De Emptione, & Venditione.*
- 2 *De Donatione inter Vivos.*
- 3 *De Fœudis.*
- 4 *De Emphiteosi.*
- 5 *De Dotibus.*
- 6 *De Debitis, & Creditis.*
- 7 *De Cessionibus.*

8 De Locatione, & Conductione.

9 De Compromissis.

10 De Adoptione, & Arrogatione.

CAP. I. LIBRI SECUNDI.

Continet decem Paragraphos.

1 De Emptione, & Vẽditione	ficiario.
2 De Arrha.	7 De Servitutibus.
3 De Possessione.	8 De Censualibus, & Violaris.
4 De Evictione.	9 De Permutatione.
5 De Vusufructu.	10 De Insolidum Datione.
6 De Terrenario, & Super-	

CAP. II. LIBRI SECUNDI.

Continet tres Paragraphos.

1 De Donatione inter Vivos.	3 De Insinuatione donationis.
2 De Revocatione donationis	

CAP. III. LIBRI SECUNDI.

Continet quatuor Paragraphos.

1 De Fœudis.	3 De Homagio.
2 De Investitura.	4 De diversitate Fœudorum

CAP. IV. LIBRI SECUNDI.

Continet quatuor Paragraphos.

1 De Emphiteosi.	3 De Fatica.
2 De Laudemio.	4 De Amortizatione.

CAP. V. LIBRI SECUNDI.

Continet quatuor Paragraphos.

1 De Dotibus.	3 Sponsaliis.
2 De donatione propter nuptias	4 De Matrimonio.

## CAP. VI. LIBRI SECUNDI.

Continet quatuor Paragraphos.

- |                 |  |                   |
|-----------------|--|-------------------|
| 1 De Mutuo.     |  | 3 De Deposito.    |
| 2 De Commodato. |  | 4 De Delegatione. |

## CAP. VII. LIBRI SECUNDI

Continet sex Paragraphos.

- |                            |  |                              |
|----------------------------|--|------------------------------|
| 1 De Cessione.             |  | 4 De Acceptilatione.         |
| 2 De Transactione.         |  | 5 De Aquiliana stipulatione. |
| 3 De Pacto de non petendo. |  | 6 De Solutione.              |

## CAP. VIII. LIBRI SECUNDI.

Continet tres Paragraphos.

- |                                     |  |                 |
|-------------------------------------|--|-----------------|
| 1 De Locatione, & Condu-<br>ctione. |  | 2 De Socida.    |
|                                     |  | 3 De Electione. |

## CAP. IX. LIBRI SECUNDI.

Continet quinque Paragraphos.

- |                      |  |                               |
|----------------------|--|-------------------------------|
| 1 De Compromissis.   |  | 4 De Divisione.               |
| 2 De Pace, & Tregua. |  | 5 De novi operis nuntiatione. |
| 3 De Societate.      |  |                               |

## CAP. X. LIBRI SECUNDI.

Continet quinque Paragraphos.

- |                                     |  |                     |
|-------------------------------------|--|---------------------|
| 1 De Adoptione, & Arro-<br>gatione. |  | 3 De Manumissione.  |
| 2 De Professione, et Offertione.    |  | 4 De Emancipatione. |
|                                     |  | 5 De Procuratione.  |

## LIBER TERTIUS.

DE VLTIMIS VOLUNTATIBUS.

CONTINET SEX CAPITULA.

1 De Testamentis.

2 De



- 2 De Legatis.
- 3 De Hæredum Institutione.
- 4 De Substitutionibus.
- 5 De Conciliis.
- 6 De Donatione causa mortis.

CAP. I. LIBRI TERTII.

Continet quinque Paragraphos.

- |  |                                    |
|--|------------------------------------|
| 1 De Testamentis in genere.            | 4 De Testamento nuncupati-<br>vo.  |
| 2 De Personis, quæ testari<br>possunt. | 5 De Testamento sacramen-<br>tali. |
| 3 De Testamento solemnī.               |                                    |

CAP. II. LIBRI TERTII.

Continet sex Paragraphos.

- |                    |                  |
|--------------------|------------------|
| 1 De Legatis.      | 4 De Tutela.     |
| 2 De Falcidia.     | 5 De Cura.       |
| 3 De Manumissores. | 6 De Inventario. |

CAP. III. LIBRI TERTII.

Continet quinque Paragraphos.

- |                            |  |
|----------------------------|--|
| 1 De Institutione hæredum. | 4 De Trebellianica.                    |
| 2 De hæredum Qualitate.    | 5 De Exhæredatione, &<br>Præteritione. |
| 3 De Legitima.             |  |

CAP. IV. LIBRI TERTII.

Continet sex Paragraphos.

- |                                |                   |
|--------------------------------|-------------------|
| 1 De Substitutionib. in genere | 4 De Exemplari.   |
| 2 De Vulgari.                  | 5 De Breviloqua.  |
| 3 De Pupillari.                | 6 De Compendiosa. |

CAP.

## CAP. V. LIBRI TERTII.

Continet duo Paragraphos.

1 *De Codicillis.*2 *De Clausula codicillari.*

## CAP. VI. LIBRI TERTII.

Continet duo Paragraphos.

1 *De Donatione causa mortis.*2 *De Testibus ultimarum voluntatum.*

## LIBER QUARTUS.

## DE JUDICIIS.

CONTINET UNICUM CAPITULUM

in tres Paragraphos subdivisum.

1 *De Judicio Civili.*2 *De Judicio Criminali.*3 *De Exemplificationibus.*

Ecce totum Corpus Artis Notariæ, in quatuor Libros partitum, per Capitula divisum, ac per Paragraphos subdivisum, pro faciliori Tyrunculorum intelligentia: & ut istud meum propositum valeam ad optatum finem perducere ea, qua potero, brevitate, claritate, ac verborum simplicitate in expositione me geram.

# LIBER PRIMUS

## DE TRACTATU ARTIS NOTARIÆ.

CONTINET SEX CAPITULA;

- 1 De Contractibus ingenere.
- 2 De Divisionibus Personarum.
- 3 De Rebus, super quibus contrahi non potest.
- 4 De Obligationibus.
- 5 De Pactis.
- 6 De Renuntiationibus.

### CAPUT I.

## DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

Continet tres Paragraphos.

- |                             |  |                             |
|-----------------------------|--|-----------------------------|
| 1 De Contractibus ingenere. |  | 3 De Contractu in scriptis, |
| 2 De Contractu nominato.    |  | & aliis.                    |

### §. I.

## DE CONTRACTIBUS IN GENERE.



CONTRACTUS tribus modis diffinitur: *Prolatio verborum inter Partes inita*: Item: *Duorum, vel plurium circa idem convenientium mutuus consensus*: Item: *consensus Partium contrahentium*.

In quolibet contractu perfecto considerantur quatuor causæ, nempe: *Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis*: *Efficiens est, Consensus contrahentium, ex quo contrahi-*

trahitur; *Materialis* est, Materia rei, de qua contrahitur; *Formalis* est, Forma, per quam contrahitur; & *Finalis* est, Actus per quem contractus perficitur. Contractus sumitur propriè, impropriè, & (juxta aliquos) magis impropriè: *Propriè* sumitur contractus, quando ultrò, citroque, hoc est, hinc & inde oritur obligatio, ut Emptio, Venditio, Locatio, Conductio &c. Venditor enim obligatur emptori ad rem tradendam; Emptor verò ad pretium solvendum, & generaliter sumitur propriè, quando mutux obligationes interveniunt hinc, & inde, ut in contractu arrharum, in quo ambæ Partes obligantur. *Impropriè* sumitur contractus, quando una pars solum alteri obligatur, & non è conversò; ut in contractu mutui; nam si tibi mutuo centum, tu es mihi obligatus ad mutuuum restituendum, & ego, qui mutuo, ad nihil sum obligatus; & sic similiter in contractu donationis, & aliis.

*Magis Impropriè*, seu impropriissimus contractus, licèt aliqui ex antiquis Scriptoribus illum inter contractuum vocabula statuerunt, impropriissime tamen (salva urbanitate) fecerunt, & hoc infertur ex ipsorum adjecto exemplo; dicebant enim, impropriissimum esse contractum, quando nulla Pars obligatur, ut in solutione, per quam pristina solvitur obligatio; sed vulgarissimum est, quod *solvere non est contrahere*, sed distrahere, & per distractum recedunt Partes à contractu, ipsumque resolvunt.

Contractus alius est purè, & simpliciter celebratus, alius in diem, alius sub conditine, & alius alternativus.

*Purè*, & simpliciter est, quando quis promittit rem, vel pecuniam dare, nullo Tempore assignato, nec ulla conditione apposita, quo casu statim oritur actio, & utraque obligatio, naturalis scilicèt, & civilis, & statim debitum peti potest; sed tamen solet per judicem (misericordie causa) assignari aliquod tempus debitori, puta, decem dierum, ad solutionem faciendam.

*Contractus in diem* est: Quando quis promittit alteri rem, vel pecuniam tradendam, vel solvendam in diem determinatam: v. g. in diem Natalis Domini, & tunc, adveniente die, oritur obligatio.

*Contractus sub conditione* est: Quando quis promittit alteri rem, vel pecuniam tradendam, aut solvendam sub certa conditione; v. g. Si filiam suam in Uxorem duxerit, & tunc purificata conditione, oritur obligatio.

*Contractus alternativus* est: Quando quis promittit rem, vel pecuniam tradere, aut solvere Petro, vel Joanni, quo casu nulla quæritur actio Joanni; sed Petro tota, & hæc est differentia inter particulam alternativam, & copulativam; nam natura *copulative* est: Dividere actum per partes, ut unicuique pars tribuatur: v. g. Promitto rem Petro, & Joanni, natura: verò *alternativa* est: Tribuere unicuique totam summam; v. g. Promitto rem Petro, vel Joanni.

## DE CONTRACTU NOMINATO ET ALIIS.

**N**ominati contractus sunt illi, qui habent nomen ita attributum, & determinatum, quod alteri contractui attribui, & accommodari non potest; ut emptio, locatio, mutuum, commodatum, precarium, depositum, emphytheosis, fœdum, societas, & alij quamplurimi.

Ut dicatur contractus *nominatus*, requiruntur quatuor; *primò*, quòd nomen sit tam proprium, & speciale, quod alteri contractui accommodari non possit; *secundò*, quòd statim ex eo oriatur obligatio; *tertiò*, quòd oriatur specialis actio; *quartò* quòd non sit locus penitentiae.

Sed tamen, hæc quarta circumstantia fallit in quatuor contractibus, qui licèt sint *nominati*, locum habent penitentiae; *primò*, in deposito, nam deponens potest, si vult pœnitere; *secundò*, in societate, potest enim socius, re integra existente, & nondum incepta societate, pœnitere; *tertiò*, in mandato; quia procurator potest ab agendo sui principalis negotia pœnitere, sicuti principalis per revocationem mandati; *quartò*, in venditione in scriptis, nondum redacta, hoc est, si instrumentum non est legitimè lectum, & à partibus approbatum.

Contractus *innominati* sunt illi, qui non habent nomen proprium, attributum, nec determinatum à lege, & possunt accommodari alijs contractibus; & ad instructionem Notariæ Tyronum notantur hæc quatuor contractuum innominatorum species; scilicèt: *Do ut des, facio ut facias, do ut facias, facio ut des*

De primo contractu innominato *Do ut des*, est exemplum in permutatione: *Do enim tibi domum meam, ut des mihi veniam tuam*; unde iste contractus *do ut des*, licet assimilatur emptioni, & venditioni, in qua dat rem venditor, ut emptor det pretium, non tamen est emptio, & venditio, quia in ista requiritur pretium certum, & in pecunia numerata, & de natura contractus innominati, est dare speciem pro specie, non autem speciem pro pecunia; quia tunc esset venditio, & per consequens contractus nominatu.

De secundo contractu innominato *facio ut facias*, est exemplum; v. g. *Convenio tecum de arando vineam; ut tu mihi ædifices Domum.*

De tertio contractu innominato *do ut facias*, est exemplum; v. g. *Convenio tecum de dando equum: ut tu mihi scribas librum.*

De quarto contractu innominato *facio ut des*, è conversò; v. g. *Convenio tecum de scribendo librum, ut tu des mihi equum.*

Sed *nota*, quòd conventio in unoquoque ex dictis contractibus est nuda, quando ab aliqua partium non est completa; nam tunc vestitur rei interventu, & nascitur actio præscriptis verbis ad repetendum per conditionem ob causam, & similis conventio fit pacto simplici, non autem per stipulationem; quia tunc esset contractus nominatus, & daretur actio ex stipulatione.

Contractus *magis innominati* sunt, qui possunt accom-

modari nominatis, & innominatis, & dicuntur pacta; quia pactum est vocabulum adeò generale, quod potest accommodari nominatis; & innominatis contractibus, & sub illo continentur omnia, quæ inducunt obligationem, ac etiam quæ dissolvunt eam.

## §. III.

## DE CONTRACTU IN SCRIPTIS, ET ALIIS.

**C**ontractus *in scriptis* est ille, de quo in actu, vel ante conveniunt Partes, ut inde fiat scriptura, quia *contractus legem accipiunt ex conventionione.*

Contractus *sine scriptis* est ille, de quo non agitur inter contrahentes, ut inde fiat scriptura; & licet postea fiat, tamen ex eo, quod non fuit actum ab initio inter contrahentes, dicitur *sine scriptis.*

Contractus *bonæ fidei* sunt illi, in quibus bona fides solùm requiritur, & ita appellantur, quia in eis uberantius, & pinguius Judex officium suum ad ea, quæ bonæ fidei sunt, extendit, quàm in contractibus stricti juris; & contractus bonæ fidei sunt quatuordecim, scilicet: Emptio, venditio, locatio, conductio, mandatum, depositum, commodatum, pignus, societas, tutela, divisio, permutatio, dos, & æstimatio rei dotalis.

Contractus *stricti juris* sunt illi, in quibus solùm venit quod strictè exigit natura contractus, ut: Stipulatio, insolutum-datio, donatio, emphytheosis, fœdum, sponsalitia, & cæteri omnes, qui inter contractus bonæ fidei non enumerantur.



Contractus de *jure civili* sunt: Stipulatio, litterarum obligatio, sponsalitia largitas, emphytheosis, commissum, tutela, & cura. Jus autem civile est: *Illud, quod à Civitate, vel Populo est constitutum media ratione civili, ab ea denominationem accipiens.*

Contractus de *jure gentium* sunt: Emptio, venditio, locatio, conductio, & regulariter ceteri omnes contractus; Jus autem gentium est: *Illud, quod ex naturali judicio, scuratione proficiscitur; sed non simpliciter; imò per discursum practicum ex moribus Populi apprehensum.*

Contractus alij perficiuntur *consensu*, ut: Venditio, matrimonium, locatio, societas, & procuratio; alij perficiuntur *verbis*, ut: Stipulatio, acceptilatio, aquiliana stipulatio; alij perficiuntur *re*, ut: Permutatio, mutuum, commodatum, pignus, depositum, divisio; & alij perficiuntur *nudo pacto*, seu scriptura interveniente, ut: Donatio, emphytheosis, & alij.

In conficiendo contractu considerari debent forma, substantia, natura, & accidens: *Forma est: Quæ dat esse rei, vel est: Ordinata series ad substantiam deducens, & ex ea quælibet dispositio essentiam capit, quæ cum in eadem materia diversa est, diversum quoque actum constituit, & ubi est defectus formæ, non sufficit effectus, quia formæ nihil addi, seu detrabi potest; nam cum sit à lege data, non est arbitraria, sed ad unguem observari debet, & in dubio pro substantiali est, & non potest impleri per æquipollens, quia lex est mensura, & regula omnium agendorum.*

Forma

Forma, alia dicitur substantialis, & alia accidentalis, seu levis; *Substantialis* est illa: Quæ est de substantia, simulque producit rem, & productam sustentat, & alit, ut: Voluntas defuncti est forma substantialis testamenti, & dicta forma substantiali omiſſa, vitiat, & naturalem obligationem non producit, quia debet in forma observari solemnitas, quæ est, *qualitas quædam rei accidens, qua actus fit solemnis*, & ipsa solemnitas substantialis omiſſa, facit mutationem circa substantiam ejus, de quo agitur.

Forma *accidentalis*, vel *levis* est, quæ abesse potest, re ipsa salva manente, vel est, quæ alteri etiam actui, quam illi, cui adhibetur, convenire potest.

Substantia est: *Quæ primam rei essentiam præstat, sine qua res esse, subsistereque non potest, & dat esse contractui ex se ipsa, & absolute, ut præmium in venditione, & communitio in societate.*

Natura, seu naturalia in contractibus sunt: *Quæ ad contractum quadam habitudine accedunt, & ex contractu veluti concomitanter dependent, & non contractus ex ipsis sed ipsa ex contractibus consistunt*, ut evictio sequitur, & concomitatur contractum venditiones, & si non exprimentur à Partibus, tamen insunt contractui, & ita ipsi contractui coherent, ut ex visceribus ipsius contractus dependent, & intrinseca quadam inseparabilique qualitate ei insunt, & dicuntur naturalia inseparabilia, quæ per pactum tolli non possunt (licet alia naturalia contractus per pactum tolli possint) v. g. in contractu societatis, per pactum

factum tolli non potest, quod lucrum ad alterum ex socijs perveniat, benè verò damnum, nam communitas Incri est inseparabilis in contractu societatis, aliàs esset leonina conventio.

Naturalia verò consuetudinaria sunt, quæ tantùm ex consuetudine insunt contractui, & frequentiori, & assidua consuetudine (quæ in naturam transit) contractibus accedunt. *Accidens*, seu accidentalia in contractibus sunt, quæ præter naturam contractus inducuntur, & possunt esse, & abesse.

## CAPUT II.

## DE DIVISIONIBUS PERSONARUM.

Continet sex Paragraphos.

- |   |  |   |  |
|---|--|---|--|
| 1 | De Divisionibus personarum.  |   | sione contractus redditur inutilis ratione conditionis.                    |
| 2 | De Personis, quarum occasione contractus redditur inutilis ratione ætatis. | 5 | De Personis, quarum occasione cõtractus redditur inutilis ratione morbi.   |
| 3 | De restitutione, & juramento.  | 6 | De Personis, quarum occasione cõtractus redditur inutilis ratione delicti. |
| 4 | De Personis, quarum occa-  |   |  |

## § I.

## DE DIVISIONIBUS PERSONARUM.

Contractus constat ex tribus, scilicet: Personis, rebus, & obligationibus; & cum à dignioribus sit inchoandum, sciendum est, quòd ex personis, sex fiunt divi-

divisiones, respicientes sexum, conceptum, conditionem, potestatem, filiationem, & ætatem.

*Prima personarum divisio in ordine sexus, est: Quòd omnes homines, aut sunt Masculi, qui agunt, & gignunt; aut sunt fœmina, quæ patiuntur, concipiunt, & pariunt: unde dicitur fœmina, ante partum, onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa: Aut sunt herma phroditi, androgini, seu ambigina, qui habent utrumque sexum; sed juxta antiquorum Physicorum opinionem, si magis incalescunt in masculino, censentur masculi, & si magis in fœmenino, censentur fœminæ.*

*Secunda Personarum divisio in ordine conceptus, est: Quòd omnes Personæ, aut sunt nata, quæ ab utero matris separata, & in lucem sunt editæ; aut nascitura, quæ sunt conceptæ, & in utero Matris alligata, & hæ in favorabilibus habentur pro nata, nam in testamento sunt instituendæ, & similiter dominus matris servæ potest manumittere posthumum, in odiosis autem pro non nata censentur; nam in testamento neque exhæredari, neque præteriri possunt, & si mulier prægnans est propter delictum judicanda, non judicatur ante partum, ob favorem fœtus.*

*Tertia personarum divisio, in ordine conditionis, est: Quòd omnis Homo, aut est liber, aut est servus. Liber Homo est natus de liberis Parentibus, vel saltem de libera Matre, quia partus sequitur ventrem, quoad libertatem; Patrem verò quoad honores, & potestatem: liber Homo alius est ingenuus, scilicet, qui itatim ut nascitur liber est,*

est, sive nascatur ex duobus ingenuis, sive ex duobus libertinis, sive ex altero ingenuo, & altero libertino, & si nascitur ex patre servo, & matre libera, ingenuus, & liber est; alius est libertinus, scilicet ille, qui cum esset servus, à domino fuit manumissus, & dicitur libertinus, quia ille, qui fuit servus, ingenuitatem recuperare non potest. *Servus* autem est ille, qui nascitur ex matre ancilla, vel qui capitur ab hostium potestate, vel qui patitur se venundari, solemnitatibus à jure civili requisitis intervenientibus.

*Quarta personarum divisio in ordine potestatis, est:* Quòd personæ aliæ sunt *sui juris*, seu liberæ, hoc est, quæ non sunt in potestate alicujus domini, & aliæ sunt *juris alieni*, id est, quæ sunt in potestate dominorum; vel sunt natæ de ancilla, vel ab hostibus captæ sunt, aut permiserunt se venundari, & appellantur servi, ut suprâ dictum est: Item, alieni juris sunt filii familias, ex justis nuptijs procreati, qui in patris, avi, vel proavi paterni existunt potestate.

*Quinta personarum divisio in ordine filiationis, est,* quòd filii, alii sunt *legitimi*, & *naturales*, hoc est, legitimi, quia nati sunt ex justo matrimonio, & secundùm jus Divinum, Canonicum, & humanum; triplici enim jure dicitur inventum matrimonium, scilicet, juris naturalis inventionem, juris gentium receptionem, & juris civilis confirmationem; & dicuntur etiam naturales, quia pariter natura cooperatur in eis; alii sunt *legitimi tantùm*,

hoc est , adoptati , & arrogati , quia isti à sola legis per-  
 missione accipiunt filiationem , & nihil est in eis operata  
 natura ; alii sunt *naturales tantum* , qui solum cooperan-  
 te natura , nascuntur , & non secundum leges Canonum ,  
 proceduntque ex vero concubinato , seu de concubina ,  
 quæ est illa , quam quis cognoscit fornicationis effectū ,  
 & ut dicatur concubina , necessarium est , quòd non sit ho-  
 nestè vivens , quòd non sit affinis , nec consanguinea ,  
 quòd non sit monacha , sponsa Christi ; & quòd non sit  
 ligata , id est , quòd non habeat maritum , nec concubi-  
 narius uxorem , taliter quod concubinaris , & concubi-  
 na matrimonium absque dispensatione possint contrahe-  
 re ; & alii sunt *nec legitimi , nec naturales* , & isti apellantur  
 spurij , incestuosi , nefarij , & adulterini . *Spurij* sunt , qui  
 habent patrem incertum , ut filij meretricis ; vel qui ha-  
 bent patrem certum , sed talem , quòd secundum Deum ,  
 & honestatem , demonstrare non licet , ut filius Sacerdo-  
 tis . *Incestuosi* vocantur , qui nati sunt ex linea transversali  
 in gradu prohibito , nam amplexus inter tales conjunctos  
 dicitur incestus . *Nefarij* vocantur , qui nascuntur ex linea  
 ascendente , vel descendente , tales enim amplexus nefa-  
 rij dicuntur . *Adulterini* vocantur , qui propriè de adulte-  
 rio nascuntur , scilicet , ex muliere conjugata , & alieno  
 viro conjugato , vel non , aut ex viro conjugato , &  
 muliere libera .

*Sexta* personarum divisio in ordine *ætatis* , est : Quòd  
 personæ , aliæ sunt legitimæ *ætatis* , & aliæ non legitimæ  
*ætatis* :

ætatis : Legitimæ ætatis , sunt majores , & ita appellantur post completum vigesimum quintum annum ; non legitimæ ætatis sunt minores à viginti quinque annis infra , & horum minorum alij sunt puberes id est , masculi à quatuordecim annis supra , foeminae verò à duodecim ; & alij sunt impuberes , hoc est , infra dictam ætatem respectivè , ut infra sequenti paragrapho explicabitur.

## §. II.

DE PERSONIS , QUARUM OCCASIONE CONTRA-  
*ctus redditur inutilis ratione ætatis.*

Quatuor sunt personæ , quæ ratione ætatis , inutilem reddunt contractum , scilicet , Infans , proximus infantia , proximus pubertati , & pubes.

*Infans* , tam masculus , quàm foemina , est à die nati-  
vitatibus , usque ad septimum annum , & non potest contra-  
here , nec se , nec alium sibi obligando , nec cum tutoris  
auctoritate civiliter , nec naturaliter , quia animi judicio  
caret , & ignorat quid agit , & in omni contractu requi-  
ritur sensus , & intellectus ; neque fidejussorem dare po-  
test , & si datur , non obligatur , eò quia *ubi principalis  
obligatio esse non potest , neque accessoria* , omnes enim hu-  
jus infantis contractus debent à suo tutore tutorio nomi-  
ne celebrari ; infans dicitur quasi *nihil facere valens* , &  
æquiparatur servo , juxta illa verba B. Pauli in epist. 4. ad  
Galat. ibi : *Quanto tempore haeres parvulus est , nihil differt  
à servo , cum sit dominus omnium , sed sub tutoribus , &  
actoribus est , usque ad præfinitum tempus.*

*Proximus infantia*, id est, masculus major septem annorum, usque ad decimum, & dimidium, & foemina usque ad nonum, & dimidium, potest alium sibi obligando contrahere propter suam utilitatem, *quia unicuique licet conditionem suam meliorem facere*; Si verò se obligando, vult contrahere, distinguendum est, aut habet tutorem, vel non; si non habet, solùm in duobus casibus tenetur civiliter, & naturaliter, nempe in sponsalijs certis, & in illo contractu, de quo fit locupletior, id est, cum pecunia est salva, & in utilitatem suam conversa; in alijs verò contractibus, si tutore caret, naturaliter tantùm obligatur, quæ obligatio sola inefficax est agendum, prodest tamen ad dandum fidejussorem, qui naturaliter, & civiliter, obligatur; si autem habet tutorem, iterum est distinguendum, aut contrahit cum ipso tutore, aut cum extraneo; si cum tutore nullo modo obligatur, nisi fiat locupletior, sed si plures tutores habet, & cum auctoritate, unius contrahit cum altero naturaliter, & civiliter obligatur; si contrahit cum extraneo, & cum tutoris auctoritate, etiam civiliter, & naturaliter obligatur; si verò absque tutoris auctoritate contrahit, naturaliter tantùm, ut prædicitur, obligatur.

*Proximus pubertati* ita nuncupatur, quia magis pubertatem respicit, quàm infantiam, & est masculus à decimo & dimidio usque ad decimum quartum annum, & foemina à nono & dimidio usque ad duodecimum annum, & de ipso idem dicendum est pro ut de proximo infantia, tene-



tenetur tamen de dolo, quia est doli capax; & est sciendum, quod impubes, id est, *masculus minor quatuordecim annis, & fœmina duodecim*, in patria potestate constitutus, non obligatur etiam cum patris auctoritate, nec pater potest eum obligare, sed tamen si patrem non habet, obligatur cum tutoris auctoritate, quia *patria potestas ad gubernandum est, auctoritas verò tutoris ad auctorisandum*, & etiam quia tutor tenetur, si malè administraverit.

*Pubes* est masculus major quatuordecim annis, & fœmina duodecim, & in hac ætate dicitur adolescens, adultus, & vir potens, & si habet curatorem, non potest, absque istius auctoritate, contrahere, nisi curator legitimè recusaverit; si verò curatorem non habet, optimè potest contrahere, & alienare etiam immobilia, quia *pubes invitus curatorem non accipit, nisi ad lites*, & valet alienatio, juramento tamen interveniente, licèt decretum Judicis, & causa legitima non interveniat, & tunc debet jurare, se majorem esse quatuordecim annis, & curatorem non habere, nec habere velle, & non venturum contra contractum ratione minoris ætatis, & ita non potest contravenire propter auctenticam Federici Imperatoris, inferius explicandam; nam juramentum facit valere contractum, qui aliàs de jure non valeret, repræsenterat minorem esse majorem, & privat eum restitutione.

## §. III.

## DE RESTITUTIONE, ET JURAMENTO.

**Q**uia quandocumque minores decipiuntur, sunt restitu-  
tuen-

tuendi, oportet scire, quòd restitutio est: *Prioris rei status reintegratio*, & petitur per læsos, per tutores nomine pupillorum, per curatores pro adultis, per Ecclesias, & pias causas, & per procuratores, habentes mandatum speciale, non autem generale.

Restitutio potest peti à minore toto tempore minoris ætatis, & ea finita intra quadriennium, & à majore intra quatuor annos à die contractus, & ab Ecclesijs, & pijs causis, intra quadriennium à die scientiæ.

Damnum est: *Diminutio patrimonij, vel fame*, & est triplex, scilicet *enorme*, quòd excedit dimidiam justipretij; *modicum*, quòd modicam in se continet læsionem, & *minimum*, quòd continet minimam: minor potest petere restitutionem enormis damni, & de modico per privilegium; major autem solùm de enormi, & de minimo, nec minor, nec major, quia melius est, quòd partes minimum damnum patiantur, quàm totus contractus infringatur, & non eo ipso quo quis contrahit videtur læsus, & est restituendus, attamen de lucris omiſſis petitur etiam restitutio, ut si repudiavi hæreditatem locupletem, credendo fore damnosam, & alijs similibus.

Restitutio ex modico damno petitur per Judicis officium, misericorditer imploratum, & de enormi damno per actionem descendantem ex contractu.

Juramentum est: *Rei affirmatio, vel negatio adhibita religione*, & non solum sumitur formaliter, hoc est, oratio prolata, sed etiam virtualiter, quia tactus sine oratione

ne habetur pro juramento, & oratione locutoria; Religio enim, vel sacra res, per quam juratur, est Deus, vel aliquid Dei in quantum est Dei; unde per creaturas juratur, non secundum se sumptas, sed in quantum sunt relatæ ad Creatorem, id est, quia relucet in eis vestigium Divinæ veritatis; quapropter cum juratur per Fidem, per Evangelia, vel per Sanctos, intelligitur juramentum esse per Deum, cujus veritas continetur in fide, & in Evangelio, & per Sanctos est prædicata.

Ex fide, & fine introductum est juramentum, *ex fide*, qua homines credimus, Deum habere infallibilem veritatem, & universalem omnium cognitionem, & provisionem; *ex fine*, quia inducitur ad justificandum homines, & finiendas contraversias.

Duplex est juramentum, *judiciale* scilicet, & *extrajudiciale*; *judiciale* autem aliud est *voluntarium*, quod pars parti præstat in judicio, & aliud est *necessarium*, quod Judex alicui parti defert in supplementum probationis, & dicitur *suppletorium*, ac etiam *litis decisorium*, & aliquando dicitur de calumnia, cum quis jurat, se bona fide, & non animo calumniandi litem movisse, respondere, seu aliquid proponere, & debet esse non solum de præterito, & de præsentis, sed etiam de futuro, unde colligitur, quòd calumnia est *falsa petitio, seu injusta repulsio facta scienter*.

*Extrajudiciale* juramentum est triplex, nempe *assertorium*, quo juratur de præterito, vel præsentis; *confirma-*

*torium*, quod imponitur ad validitatem contractus; & *promissorium*, quo juratur de futuro, hoc est, de dando, seu faciendo, rem tamen, seu factum licitum, quia *juramentum non est vinculum iniquitatis*, & in ipso juramento promissori semper subintelligitur, si Deo placuerit, si res sit honesta, & possibilis, si adsit facultas, & similia, nam *impossibilitas excusat à perjurio*.

Aliud est *extrajudiciale* juramentum, quando quis sponte coram Notario, & testibus aliquod dictum, vel factum cum juramento refert, quod nos vulgò appellamus *attestatio extrajudicialis*; sed super his videat Notarius dispositionem *cap. 9. ex Regia Ordinatione de anno 1755.* & præcipuè caveat, ne fiant similes attestaciones super aliquod dictum, vel factum in judicio propositum, maximè in criminali, & ne ex eis resultet aliqua nota infamiæ, quia prohibitum est, & cognosco Notarium, qui fuit à nostro Regio Senatu pecuniaria sententia punitus pro similibus attestacionibus à se receptis, quæ fuerunt in prothocollo tildatis.

Juramentum à minore præstitum, facit valere contractum, qui aliàs de jure non valeret, representat illum esse majorem, & privat eum restitutione modici damni, si dicit solummodo non contravenire ratione minoris ætatis, sed si cum juramento dicit non contravenire ratione minoris ætatis, & ratione minoris pretij, tunc privatur ipse minor restitutione enormis damni, pro ut etiam privatur major; & hic non loquitur de minore impubere, quia

quia iste non potest jurare, sed de pubere, propter auctenticam Federici Imperatoris, quæ ita se habet.

*Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, precipimus inviolabiliter custodiri, sed si per vim, aut justum metum, etiam à majoribus præstita nullius momenti esse jubemus.*

### EXPOSITIO DICTÆ AUCTENTICÆ.

Dicitur *Sacramenta*, id est, juramenta corporaliter præstita, *puberum*, & non *impuerum*, quia impubes non tenetur ad juramentum in jure civili, licet aliqualiter possit teneri in jure Canonico; & hinc nota, quod jus Canonicum dicitur, quasi *jus regulatum*, utpote *Canon* idem est, quod *regula*, & à Pontificibus est condictum; *spontè facta*, & non *coactè*; quia juramentum *coactè factum*, non valet, *super contractibus* tam propriis, quam *impropriis rerum suarum*, & non *alienarum*; *precipimus &c.* id est, quoad exceptionem dandam; nam si minor vendit cum juramento, & postea vult repetere rem, non potest, & etiam quoad actionem, ut possit emptor agere contra puberem vendentem actione ex empto, ut sibi rem tradat.

*Nota*, quod juramentum confirmatorium, quod imponitur ad validitatem contractus, non habet locum in omni contractu, sed in illis tantum, in quibus ad validitatem est necessarium, ut in venditione, compromisso, dote, donatione, & in quocumque contractu alienationis; ita enim dispositum est *in cap. 7. ex Regia Ordinatione anni 1736.* quod etiã unicuique Notario præscribitur in regio titulo,

## §. IV.

DE PERSONIS, QUARUM OCCASIONE CONTRA-  
ctus redditur inutilis ratione conditionis.

**D**Uæ sunt personæ, quæ ratione conditionis inutilem reddunt contractum, prout sunt filiusfamilias, & servus.

*Filiusfamilias* est ille, qui habet patrem, avum, vel proavum paternum, & est in illius potestate, & si est impubes, non potest contrahere, etiam cum patris consensu, nec pater potest eum obligare, & si obligatur, non valet obligatio, etiam si expressè, aut tacitè annuerit, quia *in præjudicialibus tacens, non habetur pro confesso*, præsertim data majorum reverentia, prout patri est debita; *quis enim filius, maximè puer, & impubes patri recta mabit?* Si verò est pubes, potest cum consensu patris contrahere, & causa mortis donare, non verò testari, nec codicillari, nec iudicio interesse, nisi sit emancipatus, vel matrimonium contraxerit; major autem filiusfamilias regulariter cum extraneo potest contrahere, etiam sine patris consensu: dixi *regulariter*, quia fallit in mutuo, nam privatur per Macedonianum, ut infra *cap. 6.*  
§. I. & in voto reali ut si dixerit: Voveo dare campanam Divo Antonio, non tenetur; si verò dixerit: Voveo emit-tere professionem in tali Religione, tenetur, quia est votum personale.

*Nota, quòd licèt dicam in præcedenti diffinitione, fili-*

um esse familias illum, qui habet patrem, avum, vel pro-  
avum paternum, solum procedit de jure comuni, nam de  
jure nostro municipali, filius familias non est recassurus in  
potestate avi, vel proavi paterni, quia patria potestas  
per contractum matrimonii, si filius uxorem duxerit de  
consensu patris, extincta fuit per *Constitut. 1. lib. 8. tit.*  
*8. de Emancipatione.*

Et proinde patria potestas solvitur sequentibus mo-  
dis: Morte, exilio, captivitate patris, emancipatione ex  
dignitate Ecclesiastica, vel si filius militaverit in castra;  
his de jure communi, quibus adde matrimonium, ut  
prædicitur, de jure Cathalonix.

Non potest contrahere filius familias cum patre, in cu-  
jus est potestate, quia *quidquid acquirit filius, acquirit*  
*patri*, & juris fictione, una & eadem est persona patris,  
& filii, nisi sit de Castrensi, vel quasi Castrensi peculio.

*Peculium est: Substantia personarum, in aliena potestate*  
*existentium, ad differentiam patrimonii, quod est: Sub-*  
*stantia personarum, in sua, & non in aliena potestate existentium.*

Quadruplex est peculium, scilicet: Profectitium, ad-  
ventitium, castrense, & quasi castrense. *Profectitium* pe-  
culium est illud, quod provenit ad filium, ex substantia  
patris, vel occasione rerum patris, & in ipso habet pater  
proprietas, & usumfructum.

*Adventitium* peculium est, quod advenit ad filium ex  
successione matris, vel alterius conjuncti per lineam ma-  
ternam, vel ex sua prospera fortuna, & non ex substantia

patris, & in isto peculio adventitio habet filius proprietatem, pater verò usumfructum, & pater non potest illud peculium alienare, nisi immineat æs alienum, vel debitum usurarium, & prius mobile, deinde immobile est alienandum.

*Castrense* peculium est illud, quod filiusfamilias acquirit in castris, seu militia, & istud, est filij, tam in proprietate, quàm inusufructu, & de illo potest contrahere etiam cum patre suo, quia quo ad istud peculium reputatur pro persona sui juris.

*Quasi castrense* peculium est illud, quod filiusfamilias acquirit in literaria militia, & ex professione liberalium artium, ut Assessores, Advocati, Medici, Magistri liberalium artium, ac Notarij, qui publicè, & non privatim salaria recipiunt, & de isto peculio potest filiusfamilias contrahere, sicut de castrensi.

Servus est: Ille, qui nascitur de matre ancilla, vel qui capitur ab hostium potestate, vel qui patitur se venundari, intervenientibus solemnitatibus à jure civili requisitis; & generaliter servus est: Ille, qui manui, & potestati domini sui subiectus est; proptereaque servitus personalis est: *Constitutio juris gentium, qua quis contra naturam domino alieno subijcitur; & à contrario libertas est: Naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi quod vi, aut jure prohibeatur.*

Quis efficitur servus quinque modis: *Primò*, per nati-  
vitatem, quando nascitur ex ancilla; *Secundò*, per cap-



tivitatem, quando capitur ab hostium potestate; *Tertiò*, quando servus manumissus est ingratus domino suo, nam tunc per ingratitude revocatur manumissio, & reddit servus in potestatem domini; *Quartò*, per Judicis sententiam, quando quis ob delictum servitute punitur; *Quintò*, per venditionem, quando liber homo patitur se venundari, ad pretium participandum, si interveniunt solemnitates à jure civili requisitæ; nempè, quòd sit major viginti quinque annis, quòd patitur se venundari ad pretium participandum, quòd pretium reverà sit participatus, quòd credat se esse liberum, & quòd ille, qui emit, credat ipsum esse servum.

*Quidquid acquirit servus, acquirit domino suo*, & non potest cum domino contrahere; sed si contrahit, obligatur naturaliter tantùm, & ideò potest dare fidejussorem, qui naturaliter, & civiliter obligatur, & dominus obligatur etiam servo naturaliter tantùm, sed non potest dare fidejussorem, quia fidejuberet pro se ipso; cum extraneo autem non potest servus contrahere se obligando, quia dominus ex contractu servi regulariter non obligatur; si verò contrahit, alium sibi obligando, poterit, acquirendo tamen domino suo, nam servus ex persona domini habet jus stipulandi.

Ex prædictis apparet, quòd servitus est contra jus naturale, quia juri naturali est consonum, quòd omnes homines sint liberi, & liberi nascantur, & hæc servitus personalis, qua persona personæ servit, à solo jure gentium inducta fuit.

## §. V.

*DE PERSONIS, QUARUM OCCASIONE CONTRA-  
ctus redditur inutilis propter morbum.*

**P**ropter morbum sunt quatuor personæ, quæ inutilem reddunt contractum, ut sunt *furius*, qui est: *Ille, qui vadit furiendo per Civitatem, & se, & alios percutit, & dicitur à furore; mentecaptus*, seu stultus est: *Ille, qui neminem offendit, sed prorsus caret mente*, isti non possunt contrahere, quia in omni contractu requiritur sensus, & intellectus, quibus ipsi carent, & dandus est illis à Judice curator, ad eorum bona regenda; si tamen habuerint dilucida intervalla, vel sanitatem mentis in totum recuperaverint, optimè possunt contrahere.

*Mutus est: Ille qui nullo modo loquitur, & Surdus, qui nullo modo audit*, & isti, si à natura sunt, nullo modo contrahere possunt, quia in omni contractu requiruntur verba, quæ unus proferre, & alius exaudire nequit, & licèt dicatur quòd possunt contrahere per signa, dummodò sint talia, quæ apertè possint intelligi per Notarium, ad fidem de ipsis signis in instrumento præbendam, attamen est valdè periculosum; & si Notarius meum consilium amplectitur, nequaquam tales contractus recipiat, propter ambiguitatem, & signorum incertitudinem, sed curet, quòd muto, & surdo detur à Judice curator, qui eorum negotia gerat; si verò sunt muti, vel surdi ex accidenti, omnes contractus, celebrare possunt, præter

contractum, qui sapit stipulationem.

§. VI.

DE PERSONIS, QUARUM OCCASIONE CONTRA-  
*ctus redditur inutilis propter delictum.*

Sunt etiam quatuor personæ, quæ contractum reddunt  
inutilem ratione delicti, scilicet: Prodigus, Hæreticus,  
Apostata, & committens crimen læsæ Majestatis.

*Prodigus est: Ille, qui neque tempus, neque finem expen-  
sarum habet, sed bona sua dilapidando profundit, & est tri-  
plex, nempe Prodigus juris, qui est: Ille, cui bonorum  
omnium interdicta est administratio à Judice, vel à lege, &  
non potest contrahere, nisi alium sibi obligando. Prodi-  
gus facti est: Qui expendit expendenda, & non expendenda,  
& sibi non est interdicta administratio; & iste potest  
contrahere. Prodigus juris, & facti simul est: Qui expen-  
dit expendenda, & non expendenda, & sibi est interdicta ad-  
ministratio à Judice, vel à lege, & nullo modo contrahere  
potest.*

*Hæreticus est: Qui non credit quod prædicant sancta  
Evangelia, & non credit in Fidem Catholicam, & appella-  
tur hæreticus ab errore, qui errat in Fide Christi, & nul-  
lo modo potest contrahere, nec emendo, nec venden-  
do, nec testimonium facere.*

*Apostata est duplex, unus qui apostatat fidem, id est,  
cum esset Christianus, factus est Sarracenus, & iste nullo  
modo potest contrahere; alius est, qui apostatat Religio-  
nem,*

nem, quia postquam professionem emissit, fugit, vel habitum dimittit, & iste solùm potest contrahere acquirendo Monasterio.

*Commitens crimen læsæ Majestatis est: Ille qui vadit contra Regem, vel Rempublicam, vel in ea seditionem aut tumultum facit, vel jurat hostes armis, aut alio modo, seu arma sumit, vel loca occupat contra Rempublicam, & iste non potest contrahere, & appellatur etiam perduellio.*

### CAPUT III.

DE REBUS, SUPER QUIBUS CONTRAHI NON potest.

#### §. UNICUS.

**R**es minoris, quæ servando servari possunt, ut prædia, domus, aurum, argentum, & similia, quæ temporis diuturnitate non pereunt, alienari prohibentur, nisi cum solemnitatibus à jure requisitis, quæ sunt quatuor: *Causa legitima*, id est, quòd immineat debitum, & creditor urgeat, vel minor usurarum onere gravetur, aut ob dotem dandam pupillæ, vel ob donationem propter nuptias constituendam uxori, vel ob necessitatem famis ipsius minoris; *decretum Judicis*, quod debet cum causæ cognitione, prævia informatione, maximaque interveniente deliberatione ad Judicis arbitrium, & die non feriato interponi; *Auctoritas tutoris*, quæ statim, & in ipso actu est interponenda, & non ex intervallo temporis; *Subhastatio Curritoris*, id est, quòd res minoris subhastetur,

tur, & est venalis, saltem per spatium triginta dierum, & plus offerinti in encantu publico liberetur.

Sed tamen in duobus casibus potest absque prædictis solemnitatibus alienare res minoris, scilicet, si testator ita jufferit in suo testamento, nam *voluntas testatoris pro lege servatur*, & si pupillus specialem, & non generalem veniam impetraverit à Principe, quam non potest infans impetrare.

Res autem minoris, quæ servando servari non possunt, ut vinum, oleum, frumentum, animalia, & similia, nedum possunt alienari à minore cum sola tutoris auctoritate, verùm etiam ipse tutor eas vendere debet, nam aliàs, si pereunt, suo periculo peribunt.

Res sacra est: quæ publicè, & non privatim Deo, & Sanctis dicata est, & est duplex, scilicet: Mobilis, ut Crux, Calix, & alia Ornamenta, & solùm potest alienari, si Ecclesia gravetur magno ære alieno; & alia est immobilis, ut: Ecclesia, Monasterium, & similia, quæ alienari non possunt, etiamsi Monachi fame perirent.

Jus patronatus spiritualibus est connexum, sicquæ vendi non potest propter labem simoniæ, quæ est: *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel ei annexum*, & dicitur simonia à Simone Mago, qui gratiam Spiritus Sancti à Beato Petro emere maquinavit; sed tamen si venditur hæreditas, in qua existit jus patronatus, transit istud pleno jure in emptorem, ratione inseparabilitatis. Caveat autem Notarius, ne aliquid, ultra

pretium hæreditatis, superaddatur pro ipso jure patronatus, quia esset simoniacus contractus, quem conficere nequit.

Religiøsæ res, ut sunt sepulcra, monumenta, & alia similia, vendi non possunt, quia non sunt de hominum commercio, nam commercium est: *Concessa*, à jure contrahendi facultas; jus verò sepeliendi potest legari, aut gratiosè donari, non autem vendi, propter incursum simonia.

Res Ecclesiæ profanæ mobiles, quæ servando servari non possunt, ut fructus, animalia, & similia, vendi, & alienari possunt à prælato absque ulla solemnitate, ab instar rerum pupilli; res autem immobilis, ut prædia, domus, & similia, vendi, aut alianari non potest absque debitis solemnitatibus, quæ sunt causa legitima, consensus Capituli, & auctoritas Antisteteris; & quia *Censualia inter immobilia computantur*, requiruntur pariter prædictæ solemnitates in alienatione alicujus censualis Ecclesiæ creati; tamen introductum est, quòd in tali casu debitor censualista concedit facultatem luendi ei, qui vult emere censuale, cum promissione de à cætero ipsi solvendo, cujus vigore facit ille redemptionem, & cessionem recuperat ab Ecclesia, quo casu nulla requiritur solemnitas.

Res sanctæ mobiles, ut sunt portæ Civitatis & immobiles, ut sunt ipsæ Civitates, & muri, alienari non possunt, quia super his non habetur commercium, imò si quis emeret rem sanctam, amitteret rem, & pretium,

& dicuntur sanctæ à sanctione.

Res publicæ sunt, quæ in publico hominum usu consistunt, ut forum, flumina, portus, & alia similia. Forum enim est: *Locus, ubi gentes ad invicem conveniunt causa mercandi, negotiandi, seu aliter agendi*; ripa fluminis est etiam publica, seu communis usus riparum, set proprietas est domini illius prædij, cui adhæret, ita ut, si crescunt ripæ, crescunt per alluvionem ipsis dominis prædiorum, & istæ res publicæ alienari non possunt; si tamen sunt in patrimonio alicujus Civitatis, ut sunt molendina, furni, & similia alienari possunt, si devitæ interveniunt solemnitates suprâ notatæ, in alienatione prædij minoris.

Liber homo vendi non potest, nisi quando pater vendi filium, ob famis necessitatem, vel quando quis patitur se venundari modo, quo suprâ dictum est *in cap. 2. §. 4.*

Res litigiosa, quæ est *Illa, de cujus domino, vel quasi movetur lis inter petitem, & possessorem*, regulariter alienari non potest, ne res vadat de manu in manum, & quia lite pendente ipse possessor non est verè dominus, sed merè detentor, & nemo plus juris in alium potest transferre, quam ipse habet, cum alienatio sit: *Contractus, per quem dominium transfertur in alium*; & res efficitur litigiosa statim oblato libello, & citato possessore, licet per istum non sit lis contestata.

Dixi suprâ *regulariter*, eo quia res litigiosa aliquando vendi potest, scilicet ex causa dotis, donationis propter nuptias, transactionis, & divisionis, & in hoc casu dicta-

tur ita venditio: Ego T. postquam domus infrascripta, super quibus lis vertitur in T. Curia inter T. agentem ex una; & me defendentem, ex altera parte, litigiosa esse defierint, & non antea, nec aliàs, aliter, nec alio modo, & nunc pro tunc vendo &c. & in hoc casu, raro contingenti, debet cautus Notarius advertere contrahentes, ut in casu subcumbentiæ venditoris in lite, paciscantur, de quid faciendum, præmaximè si ipse venditor pretium, seu partem pretii receperit.

## CAPUT IV.

## DE OBLIGATIONIBUS.

Continet septem Paragraphos.

- |                                |  |                   |
|--------------------------------|--|-------------------|
| 1 De Obligationibus in genere. |  | 4 De Precario.    |
| 2 De Stipulatione.             |  | 5 De Pignore.     |
| 3 De Hypotheca.                |  | 6 De Fidejussore. |
|                                |  | 7 De Actionibus.  |

## §. I.

## DE OBLIGATIONIBUS IN GENERE.

**O**bligatio est: Juris vinculum, cujus necessitate adstringimur ad aliquid dandum, vel faciendum, secundùm Romanæ Civitatis jura.

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *juris*, quia obligatio est jus incorporale, nam omnia, quæ in jure consistunt, incorporalia dicuntur.

*Vinculum*, id est, jus ligans homines; nam sicut bo-



ves ligantur cornu , ita & homines verbis.

*Cujus necessitate adstringimur* , id est , obligatione naturali , & civili simul ; tunc enim quis debitor est , & de necessitate solvere tenetur.

*Ad aliquid faciendum , vel dandum* , quia vinculo obligationis adstringi possumus , non solum ad dandum , sed etiam ad faciendum.

*Secundum Romanæ Civitatis jura* , id est , secundum jus Romanum , & secundum leges ; nam si fieret contra leges , inefficax esset obligatio.

*Nota* hinc , quod omnes leges de mundo , aut sunt Divinæ , aut humanæ , vel positivæ. Divinæ sunt , quæ Divina Providentia sunt constitutæ , ut Lex Mosayca , Prophetica , Evangelica , & Apostolica , quia omnes istæ ab ipse Deo habuerunt originem ; Humanæ verò , seu positivæ leges sunt , quæ ab hominibus conditæ fuerunt ad eorum beneplacitum , ut Jus Civile positivum , & Jus Canonicum positivum.

Triplex est obligatio , scilicet : Naturalis tantum , civilis tantum , & naturalis , & civilis simul. *Naturalis tantum* est , quæ naturalem in se continet æquitatem , & ex consensu , & pacto hominum descendit , & hac naturali sola se obligat pupillus , proximus pubertati , sine tutoris auctoritate , non factus locupletior , nec dolum committens , & hæc naturalis obligatio solo æquitatis vinculo sustinetur , cum ex communi , naturalique tantum æquitate consideretur , ac etiam in his personis cognoscitur , &

conceditur, inter quas alioquin nullum est commercium, nulla obligatio jure civili contrahitur, ut inter patrem, & filium, & inter dominum, & servum, nulla actio ex obligatione naturali contrahitur, quia vim juris non habet, & solum naturalem æquitatem; & si mutuo consensu contrahitur, etiam mutuo dissensu dissolvitur.

*Civilis tantum* est, cum quis solemnitate juris adstringitur, & naturalis æquitas eum teneri non suadet, ut quando quis, sub spe futuræ numerationis, confessus fuit, se ex causa mutui pecuniam recepisse.

*Naturalis, & Civilis simul* est, cum persona abilis, que potest efficaciter obligari, cum juris solemnitate se obligat, id est, quando naturalis æquitas vult eum teneri, & juris solemnitates interveniunt, & hæc est obligatio efficax ad agendum.

Obligatio naturalis, & civilis simul, alia nascitur *ex contractu*, & est illa, quæ pacto contrahitur, & ex ipso contractu decendit, ut ex venditione, & emptione, ex locatione, & conductione, & ex multis aliis contractibus; alia nascitur *ex quasi contractu*, ut quando quis negotium gerit alienum sine mandato, ut tutor, negotiorum gestor, & alii; alia nascitur *ex maleficio*, ut quando aliquis furtum, vel injuriam facit alicui, nam delinquens statim obligatur naturaliter, & civiliter, ut penam patiatur, hoc est, naturaliter, quia ratio naturalis inter omnes gentes constituitur, ut delicta puniantur, & civiliter, quoniam Legislator, seu jus civile delicta punire jubet; & alia nascitur *ex*

*quasi*

*quasi maleficio*, ut quando aliquis non directè, sed quasi, delinquit, ut si à domo sua aliquid ejectum est, quod alicui nocuit.

Contrahitur obligatio septem modis; *primò*, re, ut in mutuo; *secundò*, verbis, ut in stipulatione; *tertiò*, consensu, ut in venditione; *quartò*, litteris, ut in chirographo; *quintò*, purè, ut quando non apposito die, promitto solvere; *sextò*, in diem, ut quando hinc ad talem diem promitto; *septimò*, sub conditione, ut promitto, si navis venerit.

## §. II.

## DE STIPULATIONE.

**S**tipulatio est: *Verborum conceptio*, quibus ille, quis interrogatur, respondet, daturum, vel facturum idem, de quo interrogatur.

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *verborum conceptio*, quia stipulatio contrahitur verbis; *interrogatur, respondet*, nam interrogatio, & responsio requiruntur in stipulatione; *daturum, vel facturum*, quia stipulatio non potest fieri per verba præsentis temporis.

Alio modo diffinitur stipulatio, scilicet: *Contractus verborum, qui fit, & celebratur, præcedente interrogatione creditoris, sequuta responsione debitoris*; unde inferitur, quòd per litteras & scripturas fieri non potest stipulatio, adhuc inter præsentis, etiam si una pars interroget per scripturam, & alia etiam per scripturam respondeat, sed

tantum per apta verba, quibus exprimaturs mens, & intentio partium contrahentium.

Etymologia stipulationis est, quod venit à verbo *stipulor*, seu *stipulum*, id est firmum, unde dici potest firma obligatio, & à jure civili inventa fuit; sed tamen stipulatio, quæ causam non continet, inefficax est, nisi facta sit in judicio, quia tunc supplet judicis auctoritas.

Requiruntur in stipulatione consensus, sensus, & intellectus, & aliquo ex his deficiente, non valet stipulatio.

Solemnitas stipulationis intrinsecè consideratur, & extrinsecè; consideratur *intrinsecè*, quando in instrumento tantum de promissione cavetur, & nulla mentio fit de interrogatione; & consideratur *extrinsecè*, quando verbis expressis in instrumento dicitur, stipulantem interrogasse, & promittentem respondisse.

Ex novem causis inutilis redditur stipulatio: *prima*, ratione magni intervalli appositi, quia facta interrogatione, debet statim sequi responsio; *secunda*, ratione dissensus, & diversitatis, ut si stipulor unum, & tu promittis aliud; *tertia*, ratione impossibilis conditionis, ut si digito tetigero Cælum; *quarta*, ratione turpis causæ, ut si stipulatur, furtum, vel homicidium facere; *quinta*, ratione metus, ut si per metum stipulatur; *sexta*, ratione doli mali, ut si stipulor dolo, vel caliditate alicujus; *Septima*, ratione absentia, hoc est, quando stipulantes sunt absentes, ut nullo modo exaudire se possunt; *octava*, ratione inutilis adjectionis, ut si stipulor purè, & tu respondes sub conditione;

tione; *nona*, ratione tertiæ personæ, quia stipulatio solum contrahentibus prodesse, aut nocere potest, unde si promittis, quod Petrus dabit mihi decem, non tenebitur Petrus, nec tu teneberis, quia promittis factum alienum, nec ille, quia, *ex contractu alieno, nemo obligatur*; sed in tali casu debet Notarius advertere contrahentes, ut ille, qui factum promittit alienum, dicat, quod promittit se facturum, & curaturum, & operam cum effectu daturum, quod Petrus det mihi decem; & si non dederit, quod ipse promittens davit mihi decem nomine poenæ, ita benè valebit, quia non alienum, sed proprium factum promittitur, & poena fortificat stipulationem.

*Nota*, quod si stipulantes sunt de varia lingua, & non se intelligunt, debent facere stipulationem per interpretem ab ipsis electum, cui creditur, & in hoc casu debet Notarius attestari in fine instrumenti de electione interpretis, & de istius interpretatione, ex qua sibi constat paritum stipulatio.

## §. III.

## DE HYPOTHECA.

**H**ypotheca est: *Firma contractus accessio*, vel melius: *Bonorum obligatio tacitè, vel expressè.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *obligatio bonorum*, id est, immobilium, nam hypotheca propriè sumpta, in rebus tantum immobilibus fieri potest; *tacitè, vel expressè*, quia hypotheca alia est tacita, & alia expressa; *tacita* est illa, quæ sine verbis

contrahentium, vi, & potestate legis inducitur, unde mulier habet bona mariti, ex tacita hypotheca obligata pro dote virtute legis, eo ipso quo dotem constituit; *Expressa* verò hypotheca est, quando quis in aliquo instrumento obligat sua bona, & hæc expressa subdividitur in generalem, & specialem, & generalem, & specialem simul; *generalis* est, quando quis generaliter obligat omnia bona sua; *specialis*, quando quis specialiter obligat unam domum, vel aliam rem immobilem; *generalis, & specialis simul*, quando specialiter obligat unam domum, & generaliter omnia bona.

Etymologia hypothecæ est, quod venit ab *hypo*, quod est sub, & *thesis*, seu *theca*, quod est positio, unde hypotheca idem est, quòd suppositio; res enim hypothecata supponitur manui, & potestati creditoris.

Creditor, habens specialem hypothecam, cogitur prius agere contra eam, per regulam: *Prius transeundum est per specialiter, quàm per generaliter obligata; & quandiu potest creditor de speciali hypotheca sibi satisfacere, non debet ad generaliter obligata, manum extendere, neque pervenire*, quia hoc incasum bona generaliter obligata, solum censentur in subsidium, & ad supplementum hypothecæ, secus verò si in instrumento apponatur clausula, quòd per specialem obligationem nullum fiat prejuditium generali, vel adsit expressa renuntiatio legibus, predicta disponentibus, namque cum *remittenti jus suum, jura non subveniant*, tunc poterit creditor executionem instare contra bona debito-

ris generaliter obligata, si maluerit, quia ad specialem hypothecam prius recurrere teneatur.

De natura hypothecæ, præsertim speciali expressæ est, quòd transfertur creditori rei hypothecatae possessio nam devitor possessionem corporalem habere videtur in re per ipsum hypothecata creditori, solùm quia iste ipsam ei per precarium concedit, quòd est effectus precarii possessionis, ut infra in sequenti §. videbitur.

*Nota*, quòd creditor, habens expressam specialem hypothecam, potest in casu cessatæ solutionis rebocare precarium, & possessionem hypothecæ aput se reassumere, istamque vendere, seu vendi facere, ad sibi creditum solvendum, hocque modo procedi debet per actionem hypothecariam, etiam contra tertium detentorem hypothecæ, non verò, modo quo procedere vidi in certa Curia per creditorem censualistam, habentem hypothecam cujusdam petitæ terræ; nam cum Notarius, qui recepit instrumentum censualis, apposuerit clausulam, quod debitor promittebat non vendere hypothecam, & si aliter facere, volebat teneri ad luitionem censualis, & cum in effectu hypothecam vendiderit, ipso facto debitorem creditor in iudicium vocavit, & ad luendum censuale damnari petiit; multæ ad utraque parte fuerunt in causa adductæ juridicæ rationes, & tandem venerunt ad transactionem: quis igitur non videt imperitiam Notarii, dictam litem motivasse? In primis est evidentissima implicantia, quòd debitor possit vendere hypothecam, cum istius vera possessio traslata sit

in creditorem, saltē per fictionē juris, & malè potest quis vendere quod suum non est; & adhuc dato, sed non concesso, quòd à debitore hypothecam verè possideri dici posset, absurdum tamen est dicere, quòd teneatur ad luitionē in casu venditionis, nam tale pactum in censualibus periculosissimum est, quia *venditor censualis semper debet manere liber ab obligatione illud redimendi*; in hoc autem casu debet Notarius consulere debitori, quòd imponat sibi pœnam consimilem pretio censualis, quæ deserviat luitioni in casu contrafactionis, & hoc modo, fulsita pœna cum stipulatione, & juramento, rectè poterit creditor agere contra debitorem per incursum pœnæ.

Cavete igitur Candidati Notariæ, similes formulas hypothecæ ad vestrum usum eligere; adite ad *Summam*, & *Viridarium* discretorum Hieronymi Gali, & Josephi Comes, ubi eas selectissimas invenietis, cum clausulis traditionis possessionis, constituti, precarii, facultatis revocandi precarium, ac vendendi, & aliis necessariis.

#### §. IV.

#### DE PRECARIO.

**P**recarium est duplex, aliud est proprietatis, & aliud est possessionis; precarium proprietatis in genere foemenino appellatur, & est illa nova laudatio, seu renovatio, quæ fit à domino directo in favorem Emphitheotæ, de re emphitheotica, ob defectum titulorum, & vulgò appellatur *Carta precaria*, pro ut explicabitur in lib. 2. cap. 4. §. 1. de Emphitheo.



Precarium verò possessionis, de quo hìc loquitur, appellatur ingenere neutro, & ita diffinitur: *Res obligata creditori, & per istum debitori concessa, ad utendum tantum diu quandiu patitur, & permittit ipse creditor.*

Dicitur precarium à verbo *precor precaris*, & est contractus ad preces factus, nam prece motus dominus rem precanti concedit utendam, & fit istud precarium in pignoribus, & hypothecis, in quibus debitores nomine creditorum se possidere constituunt; propter quod, licet ipsi debitores videantur possidere, tamen possident creditores, per regulam: *Ille possidet, cujus nomine possidetur.*

Forma precarii est hæc: *Ego enim sciens, illum in jure possidere, cujus nomine possidetur, fateor, & constituo me prædicta, quæ vobis specialiter obligo, pro vobis, & vestris, vestroque, & eorum precario nomine possidere, seu quasi, quod precarium liceat vobis, & vestris revocare &c.*

In istud precarium possessionis solum conceduntur res immobiles, inter quas computantur annui census, & censualia, non autem mobiles, & se moventes, quæ benè conceduntur in precarium proprietatis.

## §. V.

## DE PIGNORE.

**P**ignus est: *Res à debitore creditori data, pro debiti tuitione, & securitate; & dicitur pignus à pugno, id est, res pugno tradita, quia res, quæ in pignore dantur, manui creditoris traduntur, & nedum in mobilibus, verum etiam consistere potest in immobilibus; sed strictè loquendo,*

quando, solum pignus appellatur, quando res mobilis traditur creditori, quia si datur immobilis, hypotheca nominatur, & hæc est differentia inter pignus, & hypothecam, nam illud stricto modo, solum locum habet in rebus movilibus, quæ dantur creditori, cui acquiritur possessio, & datur actio pignoratitia; hypotheca autem locum habet in rebus immobilibus creditori obligatis, cui datur actio hypothecaria.

Creditor non potest vendere pignus, nisi aliter tempore dationis conventum fuerit cum debitore, vel isto invito, per Judicis sententiam, & qui pignus possidet, tenetur de dolo, lata, & levi culpa, & pignore uti non potest, & si utitur, furtum committit.

#### §. VI.

### DE FIDEJUSSORE.

**F**idejussor est: *Ille qui pro alterius obligatione se obligat per stipulationem, principali debitore remanente nihilominus obligato.*

#### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur ille, & non illa, nam mulier regulariter fidejungere non potest, propter sexus imbecillitatem; nam licet à jure tam civiliter, quam naturaliter teneretur, juvatur tamen beneficio Vellejani, ut non ad solvendum teneatur; & dixi *regulariter*, eo quia si mulier renuntiaverit dicto beneficio, modo quo infra cap. 6. §. 1. explicabitur, optimè tenebitur.

*Qui pro alterius obligatione se obligat, id est, qui proprie, & ut principalis obligatur.*

Per

*Per stipulationem*, quia stipulatio non solum est de natura, sed etiam est solemnitas extrinseca fidejussionis.

*Principali debitore remanente nihilominus obligato*; ista verba denotant, quod ante tempus, vel saltem in tempore fidejussionis debet esse principalis obligatus; nam si deretur fidejussor ante principalis obligationem, non valeret, quia fidejussor est accessorium principalis, & *ubi non datur principalis, neque accessorium*.

Et exinde colligitur, quod Notarius firmam fidejussoris ante firmam principalis recipere non debet, licet dicat unus ex recentioribus hujus Artis Scriptoribus, quod *fidejussor potest recipi, effectum firmandi obligationem fidejussoriam ante obligationem, vel post obligationem principalis, vel eodem tempore, quo principalis obligatur*: Istius namque doctrina, in his parum mihi tuta (salva urbanitate) videtur, & in illius opinionis adminiculo, nec legem vidi jubentem, nec exemplum decidens, nec practicum asserentem; quomodo enim obligatio fidejussoris, quæ accessoria est, sustinebitur in jure, si tempore, quo firmat fidejussor, non extra principalis, cum valde ritum sit, *quod accessorium sequitur principale?*

Fidejussor dicitur, quia fidem suam jussu alterius interponit, & fidejubere possunt omnes illi, qui alias possunt contrahere, quia fidejussio est species contractus, & qui non excluditur à genere, nec excluditur ab specie; & à contrario, *genere remoto, omnes quoque removentur species*.

Ut valeat fidejussio, requiruntur quatuor; *Primò*, quod  
fide-

fidejussor sit habilis ad se obligandum; *Secundò*, quòd per stipulationem se obliget; *Tertiò*, quòd principalis, aut naturaliter, aut civiliter obligetur; *Quartò*, quòd fidejussor non obligetur in plus quàm principalis.

Istud *plus* sumitur quatuor modis, scilicet, *re*, *loco*, *tempore*, & *causa*. Sumitur *re*, ut si principalis obligatur in decem, fidejussor verò in viginti; *loco*, ut si principalis obligatur solvere Dertusâ, fidejussor verò Tarracone; *tempore*, ut si principalis obligatur solvere intra biennium; fidejussor verò intra annum; *causa*, ut si principalis obligatur solvere sub conditione, fidejussor autem purè.

Ad minus quàm principalis bene potest fidejussor obligari in tribus ex dictis quatuor modis, qui sunt *re tempore*, & *causa*; sed in *loco* debent principalis, & fidejussor æqualiter se obligari, quia in diversitate loci, non minoritas obligationis assignari potest, regulariter, nam adhuc in diversitate loci potest assignari minoritas obligationis, vel saltem facillioritas solutionis, v.g. principalis debitor censualista obligatur apportare pensionem ubicumque creditor suum foveat domicilium, cum non sit extra Principatum Cathalonix, ut communiter utitur; fidejussor verò tantummodò obligatur apportare pensionem intus Dertusam, ubi commorat ipse fidejussor, & non alibi, quod est ipsi certè facillior.

Et licèt aliquando videatur, fidejussorem in plus obligari, quàm devitor principalis, v.g. fidejussor obligatur cum guarentigia in persona, & bonis; principalis verò,

non:

non : fidejussor obligatur cum speciali hypotheca, principalis autem, absque ea, & sic similiter; non tamen dicendum est, fidejussorem in plus obligari, quàm debitor principalis, sed solummodo quòd fidejussor obligatur arctiori, & efficaciori vinculo, hoc est, non quo ad substantiam, & radices obligationis, sed quo ad extrinseca, & accessoria illius.

## §. VII.

## DE ACTIONIBUS.

**A**ctio est: *Jus persequendi in judicio quod sibi debetur.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *jus*, id est, quid incorporeum, nam omnia jura sunt incorporalia; vel aliter, dicitur *jus*, legitima facultas.

*Persequendi*, ad distinguendam actionem ab obligatione, qua nihil petimus, sed adversarium adstringimus, non ut solvat, sed ut devere incipiat, & ab exceptione, qua nihil petimus, sed tantummodo nos defendimus.

*Injudicio*, ad distinguendas solemnes, & judiciales actiones, quæ ex forma legis dependent, ab extrajudicialibus hominum postulationibus, quæ neque solemnitatem, neque formam requirunt, cognitioni deservientum, sed plerumque ex privato constant arbitrio.

*Quod sibi debetur*, cum hoc exhibitur causa, officium,

atque exitus actionis, quæ non ob aliud introducta fuit, quàm ut unicuique jus suum tribuatur, quia actio est *executio justitiæ*.

Ab actione duodecim fiunt divisiones; nam alia est:

1 *Personalis*, quæ nascitur ex contractu, vel quasi, ex maleficio, vel quasi.

2 *Realis*, quæ non descendit ex contractu, sed venit in rei vindicatione.

3 *Mixta*, quæ utramque continet, personalem scilicet, & realem.

4 *Directa*, quando aliquid directè petitur in judicio, ut ex commodato, deposito, & aliis.

5 *Utilis*, quæ non datur ex jure aliquo directè, sed utiliter ex æquitate competit.

6 *Ordinaria*, quæ descendit ex contractibus nominatis.

7 *Extraordinaria*, quæ descendit ex Judicis officio.

8 *Præscriptis verbis*, quæ nascitur ex contractu permutationis, & regulariter ex omni contractu innominato.

9 *Juris civilis*, quæ à Jure Civili inventa est, & ex causis civilibus trahit originem.

10 *Prætoriam*, quam Prætor habet paratam, tam in res, quàm in personas, & quàm ipse, ex sua jurisdictione, in suis edictis proposuit.

11 *In factum*, quæ competit emptori contra rem, aut venditori contra pretium.

12 *Popularis*, qua quisque populus tuetur, & quam habet statutam.

CAPUT V.  
DE PACTIS.

Continet tres paragraphos.

1 De pactis.

3 De Instrumentis.

2 De Pœna.

§. I.

## DE PACTIS.

**P**ACTUM est: *Consensus duorum, vel plurium in idem dandum, vel faciendum, alteri ab altero paciscentium.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *consensus*, quia pactum perficitur consensu, & in quolibet pacto, sive re, sive verbis fiat, requiritur consensus, ad differentiam stipulationis, in qua non solum consensus sufficit, sed & verba sunt necessaria.

*Duorum, vel plurium*, quia in pacto necessarium est, quòd sint duo, aut plures, & quòd consentiant, ad differentiam pollitiationis, quæ est: *Solius offerentis promissio.*

*In idem dandum, vel faciendum*, & non in eodem, quia si ego, & tu consentimus, quòd Petrus sit lapis, non est pactum, quia talis consensus non obligat unum alteri, nec est de dando, vel faciendo.

*Alteri ab altero paciscentium*, quia si consentimus, quòd unus nostrum det Petro, vel quòd Petrus det uni nostrum, non est pactum, quia nemo per alium pacisci potest.

Etymologia pacti est, quòd venit à pactione, hoc est,

*pacis actione*, vel à *pace*, & *actu*; & *pañtum* est generale ad omnia, quæ aguntur, causa contrahendæ, vel tollendæ obligationis.

Multæ sunt *pañtorum* divisiones, ex quibus principaliter enumerantur viginti, sequenti, modo explicatæ.

1 *Vtilia pañta* sunt illa, in quibus personæ habiles ad paciscendum, & se obligandum interveniunt, & quæ fiunt super rebus, quæ in contractum venire possunt, & juris ordo servatur in illis.

2 *Inutilia* sunt illa, in quibus nihil horum servatur, & in quibus personæ, & res inhabiles apponuntur, & hæc *pañta inutilia* fiunt quinque modis. *Primò*, per metum, ut quando metu mortis, vel periculi coactè paciscitur. *Secundò*, per dolum malum, ut quando fit ad alterum decipiendum caliditate, vel fictione. *Tertiò*, contra Constitutiones, ut si *Advocatus*, vel *Procurator* paciscantur cum *Clientulo* de quadam parte litis havenda pro salario; quod *pañtum* vulgò dicitur *quota litis*, quod illicitum est, cum sit contra Constitutiones. *Quartò*, contra edictum *Prætoris*, ut si paciscatur, quod liceat furtum facere. *Quintò*, contra leges, ut si paciscatur prædium minoris absque debitis solemnitatibus alienari.

Amplius *pañta* redduntur inutilia, si in fraudem fiant, nam quinque modis fiunt in fraudem.

*Primò*, de persona ad personam, ut si tutor, qui de bonis pupilli emere prohibetur, emit non per se, sed per alium; & sic de *Curatore*, *Procuratore*, & aliis similibus,

qui



qui publicum, vel pribatum officium gerunt.

*Secundò*, de re ad rem, ut cum prohibitum sit pecuniam mutuare filiofamilias propter beneficium S. C. Macedoniani, tu verò mutuas illi triticum, ut eo didistracto, pecunia utatur.

*Tertiò*, de contractu ad contractum, ut cum statutum sit per Regiam Pragmaticam, non posse creari censualia ad majus forum, quàm viginti mille solidorum pretii pro sexcentis solidis annuæ pensionis, hoc est, ad rationem trium pro centenario, tu verò non facis emptionem censualis, sed emptionem alicujus prædii instrumento gratiæ redimendi, quod postea penes venditorem remanere permittis, cum pacto, quòd tibi annuatim solvat nomine arrendamenti (licèt ficti) illam ipsam quantitatem, quam importat pensio pecuniæ, ad rationem quinque pro centenario; & determinatè hoc exemplum perhibeo, quia per aliquos Notarios (licèt malè) hunc fraudulentum contractum praticari video.

*Quartò*, de nomine ad nomen, ut si paciscatur, quòd alicui non sit potestas alicujus terræ, ipse verò facit se creare, non in potestatem, sed in defensionem, quod in effectu idem est, mutato tamen nomine; ita pariter sub nomine interesse aliquandò paliantur usuræ.

*Quinto*, de facto ad factum, ut si vendidi tibi ancillam, cum pacto, ne poneres eam in lupanario, ad faciendum quæstum sui corporis, tu verò posuisti eam, non in lupanario, sed in caupòna, ut ibi quæstum sui corporis ministraret,

traret, quod idem est in effectu.

3 *Nuda* pacta sunt, quæ causam non continent, & non valent, quia pactum nudum, regulariter non parit actionem, sed exceptionem. *Dixi regulariter*, nam si per pactum constituo me soluturum quod alius debet, prout est in *fi de jussione*, valet obligatio, licet sit nudo pacto conventa.

4 *Vestita* pacta sunt, quæ legis solemnitatibus vallata, utilia sunt ad agendum, & obligandum, & vestiuntur novem modis.

*Primò*, re, ut in mutuo: *Secundò*, verbis, ut in stipulatione: *Tertiò*, litteris, ut in chirographo: *Quartò*, consensu, ut in venditione: *Quintò*, coherentia contractus, ut si gratia alicujus pacti vestiti fiat pactum, quod aliàs esset nudum, dummodo fiat incontinenti, ut si vendas domum, & facias pactum, quod debeas in ea morari per annum: *Sextò*, interventu rei, ut dabo equum, ut des mihi mulum, & in aliis contractibus innominatis, in quibus à principio nulla datur acti, sed postea interveniente re, & tradita, competit actio illi, qui interventu rei vestivit contractum: *Septimò*, rei principio, ut si promiserim Republicæ ædificare Palatium, nuda est promissio, quia sine causa est, sed si illud incepi, vestitur rei principio, & perficere teneor: *Octavò*, legis auxilio, ut in donatione, dote, & similibus, quæ nuda sunt, & legis auxilio vestiuntur: *Nonò*, jurejurando, ut quando manumissus promittit opera sua jurejurando.

5 *Gratuita* pacta sunt, quando quod mihi debes per pactum, tibi gratis remitto.

6 *Non gratuita* sunt, quando non gratis, sed aliquo retento, tibi debitum remitto.

7 *Expressa* sunt illa, in quibus expresse promittitur aliquid fieri, vel dari, & hæc fiunt verbis, litteris, & consensu.

8 *Tacita* sunt illa, quæ partes inter se non fecerunt, sed tacite intelliguntur facta ex vi, & potestate legis, id est, quæ verbis non exprimuntur, sed ex tacito quodam consensu, verisimiliterque ex præsumpta animi voluntate descendunt, ut si quis debitori suo cautionem reddat, videtur inter eos convenire, ne debitum petatur.

9 *Clara* sunt illa, in quibus obscuritas, seu ambiguitas non versatur.

10 *Obscura* sunt, quæ possunt habere duplicem intellectum, & tunc interpretantur contra proferentem, eo quod in ejus potestate fuit apertius conscribere legem.

11 *Reali* sunt, quando paciscitur de re non patenda.

12 *Personalia*, quando paciscitur de non petendo à tali persona determinata.

13 *Substantialia* sunt, quæ fiunt super his, quæ sunt de substantia contractus, ut super re, vel pretio venditionis.

14 *Naturalia* sunt, quæ fiunt super his, quæ sunt de natura contractus, ut super evictione, & juramento venditionis.

15 *Accidentalialia* sunt, quæ fiunt super his, quæ non sunt de substantia, nec de natura contractus, ut si vendo domum

domum , & pactum est , quod debeam in ea morari per annum.

16 *Adjectionis in diem* , fiunt hoc modo : vendo tibi domum cum pacto , quod si mihi non solveris pretium hinc ad tale festum , vel etiam si infra tale tempus apparuerit qui plus dare vellit , res sit inempta.

*Nota* , quod licet unus ex recentioribus Notariæ Scrip- toribus dicat , quod pactum istud debet nominari *addi- ctionis* , & non *adjectionis* ; attamen , cum sint quampluri- mi AA. tam veteri , quàm recentiores , qui in his nomine *adjectionis* utuntur , quorum auctoritas non est spernen- da , neque istos insimulore , neque illum despiciere opinor , maximè cum sit mera materialitas , & revera sive dicatur *addictio* , sive dicatur *adjectio* , idem ad casum ferè significat.

17 *Legis commissoria* fiunt hoc modo : vendo tibi rem , ut teneas per mensem , & si tibi placebit , sit empta tali pretio , aliàs sit inempta ; & si quis dixerit , quod ista pacta non valent , eò quia pretium confertur in arbitrium contrahentium , responde , quod valent , quia non pretium , sed placibilitas venditionis confertur , in arbitrium con- trahentium , & si pretium solvitur intra terminum , vendi- tio dicitur pura , si verò post terminum , resolvitur sub con- ditione ; verumtamen est , quod ista pacta magis in re- bus mobilibus , quàm in immobilibus injunguntur , & vulgò appellantur *vendres à prova*.

18 *Secundum leges* sunt illa , quæ fiunt secundum le- gis dispositionem , id est , quæ fiunt inter personas , quæ

pacisci, & obligare, & super rebus, quæ in contractum deduci possunt.

19 *Contra leges*, sunt illa, per quæ promittitur aliquid, quod à lege prohibetur, ut vendere rem sacram.

20 *Præter leges*, sunt illa, per quæ paciscitur aliquid, quod à lege neque expressè permittitur, neque expressè prohibetur, ut cum promittitur factum alienum: sed tamen ista pacta, quæ fiunt contra leges, & præter leges non valent, & solum, si in stipulatione alicujus pacti præter leges apponitur pœne, valet promissio pœne, licet principale non valet, dummodo pœna concipiatur in personam stipulantis, in pactis verò contra leges neque valet principale, neque pœna.

Et pro coronide, sciendum est, quòd pacta ut sic, & communiter accepta, alia consistunt in dando, ut quando dare venit in obligatione, & alia in faciendo, ut quando aliquid facere promittitur, super quibus comprehenduntur, etiam ea, quæ consistunt in non faciendo.

## §. II.

### DE PœNA.

**P**œna est: *Conventionalis stipulatio, quæ in contractibus, & pactis apponitur, ut si quis contraveniat, in ea puniatur.*

### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *conventionalis*, quia pœna debet apponi in instrumento de partium voluntate, & Notarius debet interrogare contrahentes quanta sit pœna.

*Stipulatio*, quia si poena promittitur sine stipulatione, id est, nudo pacto, non valet. Cætera verba definitionis sunt ad denotandum, quod pars debet eadem poena puniri in casu contrafactionis.

Pœnæ, si adjiciatur quantitati pecuniæ, ut promitto dare decem sub poena duplici, non valet, quia tunc ipsa poena reducitur ad legitimum modum usurarum sortis promissæ; sed si adjiciatur speciei, ut promitto dare equum sub poena centum librarum, valet, & tota poena exigitur; si autem adjiciatur factò, ut promitto ædificare domum sub poena decem librarum, etiam valet, & exigitur; & generaliter, si poena appositæ sit per verba duplum, triplum &c. non valet; si verò apponatur sub certa summa, ut centum, ducentum &c. valet, & exigitur tota usque in infinitum.

In quocumque istrumento, in quo licitè apponantur poena, non est omittenda illa clausula, scilicet: *Quæ quidem pœna toties committatur, & exigi possit, quoties in prædictis omnibus, & singulis fuerit contrafactum &c.* nam aliàs non posset amplius exigi quàm semel; & similiter inferenda est hæc alia clausula: *Quæ quidem pœna commissa, vel non, aut soluta, vel non, aut aliàs gratiosè remissa semel, aut pluries, nihilominus omnia, & singula prædicta rata mancant perpetuò &c.* quia per istam clausulam de rato manente pacto, non solum tenebitur ad unum, sed etiam ad utrumque, & per purgationem moræ, debitor non liberabitur ab interesse.

§. III.  
DE INSTRUMENTIS.

**I**nstrumentum est vocabulum adeò generale, ut cunctis conveniat Artificibus, & ferè in omnibus sumitur ut quid efficiens, pro ut est in Ferrariis, clibanus, forceps, & malleum; & in Linifabris, ferrula, securis, atque runcina; inter nos autem sumitur ut quid factum, & ita sumptum, sic definitur: *Quaedam scriptura solemnis, & publica manu publica persona, ad probationem negotii memoriae causa perpetuò facta.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *quaedam scriptura*, & non omnis, quia non omnis scriptura est publica.

*Solemnis*, id est, cum solemnitatibus debitis, & à jure requisitis, nam aliter nam non valet.

*Publica*, id est, cum publicationibus, quæ reddunt instrumentum publicum, & fidedignum.

*Manu publica persona*, id est, manu Notarii, qui est publica persona, ad instrumenta autenticanda.

*Ad probationem negotii*, ut quis per instrumentum, de jure suo legitimè probare valeat.

*Memoria causa perpetuò facta*, nam memoria est causa finalis scripturæ.

Dicitur instrumentum, quasi *instruens-mentem*, pro ut documentum dicitur quasi *docens-mentem*.

Quintuplex est instrumentum, scilicet: Publicum, priva-

privatum, apocha, antipocha, & forense.

*Publicum* est, & ut publicum dici valeat, debet manu publici Notarii factum esse, & habere formam publicam, id est, publicationes infra exprimendas, & tunc dicitur *probatio probata*.

*Privatum* est illud, quod fit per privatam personam, & quod ab och dicuntur privatæ personæ omnes, qui non habent Tabellionatus officium, & privatum instrumentum apellatur chirographum, & singraphum.

*Chirographum* est scriptura manu propria debitoris facta.

*Singraphum* est scriptura manu propria uniuscujusque ex duobus, vel pluribus contrahentibus facta.

*Apocha* est scriptura facta de receiptis per creditorem debitori, qui per eam ostendit, se solvisse quod debebat, & fit in commodum debitoris.

*Antipocha* est scriptura facta de solutis per debitorem, confitentem se solvisse tot libras nomine pensionis alicujus censualis, & fit in commodum creditoris.

*Forense* instrumentum est scriptura facta in foro, seu judicio, ut relationes Nunciorum, visorum, & similia.

In quolibet instrumento requiruntur publicationes, quæ illud reddunt publicum, auctenticum, fidedignum, quas antea sex esse dicebamus, scilicet dies, mensis, annus, locus, testes, & nomen Notarii; nunc verò per disposita in Regiis Ordinationibus de annis 1736. & 1755. octo esse videntur, addendo prædictis, fidem cognitionis contrahentium, quam Notarius præbere debet, & ipso-



ipforum contrahentium subscriptionem.

*Dies* est de substantia instrumenti, & consequenter *Mensis*; Nomen autem diei, ut Lunæ Martis, Mercurii, &c. non est de substantia, nec hora diei, sed aliquando est de necessitate, non ad validitatem instrumenti, sed ad cautionem partis, & ad prioritatem, & certitudinem temporis demonstrandam.

*Annus* est quoque de substantia, & supputatio anni debet esse juxta mores Regionis: quare non Cathalauni, qui æquè gloriamur quòd Epoca Nativitatis Domini in hac patria cœpit originem per *Regiam Pragmaticam Domini Regis Petri Quarti, Perpiniæ editam 17. Septembris 1350. & per Constitutionem de anno sequenti 1351.* qua ordinatum fuit, quòd supputatio anni incipiat à die Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi, quæ est 25. Decembris, ita servare debemus, præmaximè cum utique sit dispositum *in cap. 15. ex Regia Ordinatione anni 1755.*

*Locus*, in quo contrahitur, est etiam de substantia instrumenti, sed non locus loci, regulariter, nisi in casu quo requiratur, ut quando conficitur ante Tribunal, vel in alio loco, de necessitate exprimendo.

*Testes* sunt pariter de substantia instrumenti, & non parùm importat, quòd curet Notarius adhibere Testes instrumentales à se notas, fidedignos, & integros.

*Nomen Tabellionis, seu Notarii* est quoque de substantia, & licèt signum non sit necessarium, attamen cum sit de consuetudine immemoriali, quæ habet vim legis,

omninò servanda est; & Notarius debet uti signo, Regio in titulo ipsi assignato, illumque mutare non potest, nisi cum rescripto Regio.

In quocumque instrumento debent determinari contrahentes nomine, cognomine, agnomine, & si opus est, etiam pronomine, ipseque, & quantitates pecuniæ scribi extensè, & non laconicè, seu abbreviatè, & cum littera majuscula.

*Nomen* est vox rei imposita, per quam ex impositione nominamus, vel est illud, quod imponitur non habenti, ut *Petrus*.

*Cognomen* est nominis designatio à tota parentela, seu progenie, ut *Petrus Perera*.

*Agnomen* est, quod imponitur alicui, ab eventu, dignitate, vel arte, ut *Petrus Perera Notarius*.

*Pronomen* est, nominis designatio ab aliquo propinquorum, ut *Petrus Perera Notarius filius Josephi*.

Instrumentum Guarentigium est illud, quod ex privilegio, seu statuto paratam habet executionem, ita ut ejus vigore competat actio sine strepitu, & figura judicii, sed de facto incipitur ab executione reali, vel personali, unde guarentigia est: *Contractus, habens executionem paratam jussu Notarii, habentis jurisdictionem mandati; quia Notarius est Judex cartularius, & voluntariam jurisdictionem exercet; & in hoc Principatu appellamus scripturam tertii, ex privilegio dictæ scripturæ tertii, quæ est in Constitutione generali Cathal. sub tit. de Accions, y Obligacionis.*

Instrumentum debet habere materiam, & formam: *Materia* est illud, quod in eo narratur, & narratio debet esse brevis, dilucida, & verisimilis; *Brevis*, hoc est, quòd solùm quæ sunt necessaria narrentur, & semel dicta non repetantur, veruntamen est quòd non debet ita esse brevis, ut ipsa brevitatis obscuritatem inducat; *Dilucida*, hoc est, clara, & non ambigua, & ordo rerum, temporum, & locorum servetur in illa: *Verisimilis*, hoc est, quòd ad naturam, & consuetudinem rerum accommodetur narratio, nec aliquid in ea, quòd sensum mutet, adjungatur; *Forma* est ipsa narratio, quæ debet esse illi, quem refert accommodata contractui.

Pro coronide hujusce paragraphi non prætermitto Tyrunculis admonere, ut numquam in principio instrumenti invocationem Domini nostri Jesu-Christi omittant, præcipue in illis instrumentis, quæ alicujus sunt entitatis, & perpetuo duraturis, licet in levibus non apponant; & licet hæc non sit solemnitas substantialis, multum tamen prodest, & Notarium probat christianum, qui non debet loquendo à semetipso propriam quærere gloriam, sed ab illo, qui est totius initium sapientiæ.

---

CAPUT VI.  
DE RENUNTIATIONIBUS.

§. UNIC.

**R**enuntiatio est: *Juris, beneficii, vel auxilii à lege permissi, vel sibi competentis remissio.*

Duplex est renuntiatio, specialis scilicet, & generalis; *Specialis* est, quando certis, & expressis quibusdam juribus renuntiatur; *Generalis* autem fit verbis generalibus, ut cum renuntiatur omnibus juribus, exceptionibus, beneficiis, & omni legum auxilio.

Differentia inter specialem, & generalem renuntiationem est, quod generalis, facta in casibus, quibus requiritur specialis, nihil præjudicat: ratio est, ut ne quis sub generalitate verborum, decipiatur in his, quæ verissimiliter non sunt in intentione renuntiantis, nam *qui generalia verba profert, generaliter debet intelligi, & valde tritum est, generalem renuntiationem non valere, nisi precedat, vel subsequatur specialis; & quia generalitas sequens debet restringi, & declarari secundum verba precedentia; specialis verò omninò præjudicat, & clare indicat animum renuntiantis fuisse talem, qualem ipsa verbe explicant, quia expressa nocent, & non expressa non nocent.*

DE QUIBUSDAM LEGIBUS, ET BENEFICIIS,  
quibus potest, vel non renuntiari.

DE MACEDONIANO.

**M**Acedonianum beneficium est quoddam jus inventum in odium sceneratorum, ut filii familias sui que hæredes; & successores, ac etiam fidejussores non teneantur de pecunia ipsis filiis familias absque patris consensu mutuata; & dicitur Macedonianum, quia per Romanos Senatores fuit inventum in odium cujusdam

Civis Romani nomine *Macedonius*, pessimi fœneratoris, qui pecunias suas filiisfamilias sub usuris mutuabat ad ludos, & venerea.

Ut competeat Macedonianum, requiruntur quatuor, id est, quòd sit filiusfamilias, quòd accipiat pecuniam, vel aliam rem, ut ea distracta, pecunia utatur, quòd accipiat ex causa mutui, & quòd accipiat sine consensu patris.

Non habet locum Macedonianum in septem casibus: *Primò*, si filiusfamilias per mendacium, se patremfamilias esse dixerit; *Secundò*, si accipiat pecuniam ad mutuuum pro liberando se à creditoribus, à quibus aliter se liberare non potest; *Tertiò*, si pecunia mutuata convertitur in utilitatem patris; *Quartò*, si accipiat pecuniam causa studii, vel alimentorum; *Quintò*, si accipiat pecuniam de consensu patris, vel si iste post notitiam non contradixit; *Sextò*, si filius factus paterfamilias solvit partem debiti; *Septimò*, ratione publicæ ignorantia, ut quia plerumque videbatur esse patremfamilias, quia sic agebat, sic contrahebat, sic publicis oneribus fungebatur.

Huic beneficio Macedoniano renuntiari non potest, quia aliter daretur materia delinquendi, & quia est odiosum, & beneficiis odiosis renuntiari non potest. Aliqui tamen tenent, quòd renuntiatio valet, si est cum juramêto, & quòd filiusfamilias, qui mutuuumolvere juravit, obligatur potentialiter, & tenetur implere juramentum, maxime quando factus est sui juris, quia juramentum promissorium adjectum contractui, etsi contractum non confir-

met, est validum, quoties sine peccato impleri potest; veruntamen, cum juramentum in contractu mutui adhiberi sit prohibitum per *Pragmaticam Serenissimi Domini Regis Jacobi Secundi, quæ est l. tit. 4. lib. 4. Pragmaticarum*, nescio quomodo renuntiatio ipsa habeat locum, & cum hoc decidere, non ad me Notarium attineat, adhortor Notariæ Tyrunculos ut à similis juramenti exactiōne se abstineant, eò fortius quia erit contra dispositionem *cap. 4. ex Regia Ordinatione anni 1736.* & etiam quia filiusfamilias poterit nihilominus petere, & obtinere relaxationem juramenti; nam cum juramentum in fraudem legis videatur factum, Prælati Ecclesiæ habet justam causam relaxandi, ne lex Macedoniana inutilis reddatur.

#### DE VELLEJANO SENAT. CONSULT.

**B**eneficium Senatus Consulti Vellejani, est quoddam jus, inventum in favorem mulierum, bona æquitate, & naturali ratione inductum, propter bonum publicum, ut mulieres, ob sexus imbecillitatem, non lædantur; appellatur Vellejanum à *Vellejo*, & à Senatoribus Romanis fuit consultum in favorem foeminei sexus.

Competit hoc beneficium tantummodo mulieribus fidejudentibus, & pro alio se obligantibus; sicque renuntiatio hujus beneficii solum habet locum in illis contractibus, quibus mulier fidejebet, seu alienam obligationem in se suscipit, & quando mater, vel avia tutelam filiorum assumit, quia tunc pro filiis, id est, eorum res salvas facere, se obligat: unde infertur superfluitatem renuntiationis

Velle.

Vellejani per aliquos Notarios apponi solitæ in omni mulieris contractu; si enim mulier contrahit super re sua, tam sibi, quàm alteri obligando, non juvatur Vellejano, sicque inutilis, & abusiva in tali casu est renuntiatio: finem autem hujus beneficii colligitur non alium esse, quàm ut non mulieres pro sua imbecillitate de facili captentur ad alienas obligationes in se fuscipiendas.

Hoc beneficium, cum sit favorabile, renuntiabile est, & valet renuntiatio, dummodo mulier de eo bene certificetur: cujus certificationis forma, hæc est: *Honestâ mulier, quoddam beneficium Vellejani appellatum, fuit in tui, & aliarum mulierum favorem introductum: & dicit, quòd si mulier fidejebet, vel pro alio se obligat, non tenetur, nec tu propterea in hac obligatione teneberis, quia juvaberis dicto beneficio, cui si renunties, omninò teneberis, vis ergo ei renuntiare?*

Forma verò renuntiationis est hæc: *Et ego dicta mulier, certiorata prius ad plenum de juribus meis per Notarium infrascriptum, renuntio beneficio Vellejani Senat. Consult. in favorem mulierum introducto &c.*

Perpendite, Candidi Notariæ Tyrunculi, necessitatem certificationis Vellejani mulieribus faciendæ, & quòd reverà ita sint per Notarium coram Testibus instrumenti certificatæ, ut nullius locus sit exceptionis; & pro vestra instructione non prætermitto illud paradigma in omnibus ferè libris hujus Artis scriptum, & parum ab aliquibus Notariis consideratum. Quidam Tolosæ Notarius scrip-

fit in instrumento, se mulierem renuntiantem Vellejano cerciorasse, & mota lite, asseverabat mulier non fuisse certioratam, & vocato Notario in iudicium, in contrarium innitebat, & cautus Judex interrogavit, Notarium: Quid est beneficium Vellejani Senat. Consult. ? Ille verò Notarius cum profus ignoraret tale beneficium, fuit tanquam falsarius à Judice punitus. Utinam nos omnes Notarii semper mente teneamus hunc casum.

### DE AUCTENTICA SI QUA MULIER.

**E**st & aliud Juris auxilium, seu beneficium mulieribus competens, sumptum ex auctentica, incipiente: *Si qua mulier posita, Cod. ad Vellejanum*, in qua dicitur: Quòd si mulier se obligat cum marito, vel se facit obnoxiam pro marito, talis obligatio, seu consensus nullus est, & mulier servatur illæsa, nisi manifestè probetur, quòd pecunia inde habita fuit in utilitatem ipsius mulieris conversa, cui quidem beneficio renuntiari potest, dummodo mulier sit prius certiorata, sicut requiritur in Vellejano. Certificatio enim, ut valeat renuntiatio, semper est faciendà à Notario, maximè si contrahentes sunt mulieres, aut rustici, qui semper ignari præsumuntur.

Et licet dicta Auctentica solùm expressè loquatur, de quando mulier se obligat pro viro suo, idem est intelligendum si se obligat pro his, qui contingunt proprio viro jure potestatis, id est, si se obligat pro socero, filiis, aut fratribus viri sui.



## DE AUCTENTICA SIVE A ME.

**A**uctentica incipiens: *Sive à me*, dicit, quòd vir non potest alienare, vel obligare bona per eum uxori propter nuptias donata, etiam uxore consentiente, nisi biennio transacto iterum consentiat, & tunc alia bona supersint marito, præter donata, quæ alienantur, quæ tantum valeant sicut illa, aliàs mulieri contra possessorem bonorum sic per virum alienatorum competit actio in rem; & huic auctenticæ renuntiari potest, & habet locum renuntiatio, quando maritus uxori suæ donavit propter nuptias certam partem bonorum suorum, & inde vult aliqua alienare, quo casu, pro securitate emptoris, debet uxor consentire, & dictæ Auctenticæ medio juramento, *per Notarium certiorata*, renuntiare.

## DE BENEFICIO JURIS HYPOTHECARUM.

**B**eneficium hypothecarum est: Jus competens uxori in bonis mariti, nam statim dote tradita, omnia bona viri sunt uxori tacitè hypothecata, & huic beneficio renuntiari potest, dummodo mulier sit de eo *per Notarium certiorata*, & habet locum hæc renuntiatio in alienationibus, quas faciunt mariti de bonis suis post acceptam dotem à muliere, quia eo tunc, & non antea, censentur hypothecata.

## DE LEGE JULIA DE FUNDO DOTALI.

**L**ex Julia in faborem mulierum inventa, prohibet fundi dotalis alienationem, ne pereant earum dotes, nam cum illa cavetur, quòd si mulier dedit in dotem

viro

viro suo prædium aliquod, ut sit dotale, maritus illud obligare, seu alienare non potest, etiam uxore consentiente, & idè, ut valeat obligatio, seu alienatio fundi dotalis, debet mulier dictæ legi renuntiare cum juramento, & cum interventu viri sui; propter usumfructum, quæ renuntiatio ita notatur: *Et ambo nos dicti conjuges, quia prædicta, quæ vendimus; fuerunt per me dictam mulierem in dotem constituta dicto viro meo, & consequenter sunt, & habentur, pro fundo dotali, renuntiamus vigore jurementi infrascripti, Legi Juliæ de fundo dotali, approbantes de certa scientia jus Municipale, ac etiam Canonicum, quibus disponitur, fundum dotalem, juramento interveniente, vendi, & alienari posse, de quibus certiorati sumus per Notarium &c.*

*Nota*, quòd sit renuntiatio prædicta cum juramento, nam de jure Civili non valet, & solùm in jure Canonico sustinetur propter juramentum, ac etiam in Jure Municipali, seu consuetudine Barchinonæ *sub cap. 10.* qua permittitur alienatio fundi dotalis cum juramento. Quid enim sit Fundus dotalis, infra explicatur *in lib. 2. cap. 5. §. 1. de dotibus.*

#### DE EXCEPTIONE NON NUMERATÆ DOTIS.

**H**Æc exceptio competit marito, qui confessus fuit sibi dotem esse numeratam, cum tamen numerata non esset, quinimò apocham sub spe futuræ numerationis firmavit; quare maritus, & ejus hæredes possunt, soluto matrimonio, opponere hanc exceptionem infra annum, à die soluti matrimonii computandum, si matrimonium

per biennium, vel minus duraverit; si autem plus, & usque in decennium, debet infra tres menses apponi.

#### DE EXCEPTIONE NON NUMERATÆ PECUNIÆ.

**C**ompetit exceptio non numeratæ pecuniæ illi, qui cum crederet, se mutuandam pecuniam recepturum, ei, à quo rogavit mutuam apocham dedit, quasi si recepisset, & postea non recepit; quapropter hanc exceptionem intra biennium, à die factæ confessionis, opponere potest, ne condemnetur ad solutionem, & habet locum in contractu mutui, in scriptis celebrato.

#### DE EXCEPTIONE NON SOLUTÆ PECUNIÆ.

**E**xceptio non solutæ pecuniæ competit è converso illi, qui cum crederet, se mutuum suum recepturum, debitori apocham dedit, cum tamen mutuum non receperit, quare intra triginta dies debitum repetere, & hac exceptione tueri se potest.

Præcedentibus tribus exceptionibus, renunciari non potest, quia esset contra bonos mores; sed tamen consuetum est renunciari, & operatur renunciatio, quòd *onus probandi transfert in renuntiantem.*

#### DE BENEFICIO MINORIS ÆTATIS.

**M**inores viginti quinque annis multoties contrahunt emendo, vendendo, & se obligando, & quia propter ætatis, & discretionis defectum, aliquandò decipiuntur, ideo eis jura succurrunt per beneficium restitutionis in integrum, quod possunt implorare toto tempore minoris ætatis, & eo finito, intra quadriennium continuum;

num; hoc est, usque ad vigesimum nonum suæ ætatis annum, & per hoc remedium restituuntur in integrum, scilicet in eo statu, quo erant ante contractum, & huic beneficio renunciari non potest, quia minor magis renuntiando læderetur; sed tamen solent puberes renunciare dicto beneficio, & valet renunciatio, si est cum juramento, propter authenticam Federici Imperatoris, suprâ explicatam cap. 2. §. 3. cujus renuntiationis, forma hæc est: *Ego dictus T. quia minor sum viginti quinque annis, major verò quatuordecim, juro in animam meam, per Dominum Deum, & ejus sancta quatuor Evangelia, manibus meis corporaliter tacta, contra, prædicta non venire, nec ullam restitutionem impetrare, prætextu damni modici, ex privilegio minoris ætatis, vel damni enormis ex jure Communi, aut pretii mihi non soluti, vel in utilitatem meam non conversi, vel alterius cujusvis rationis, seu causæ, renuntians, quantum ad hæc beneficio minoris ætatis, restitutionique in integrum, & omni alii Juri &c.*

## DE NOVA CONSTITUTIONE

*De duobus reis debendis.*

**C**onstitutio ista dicit: Quòd si duo, vel plures insimul, & insolidum se obligant ad aliquid dandum, vel faciendum, licet sint obligati insolidum, pro toto conveniri non possunt, nisi quilibet pro virili parte, & huic Constitutioni renunciari potest, & valet renunciatio; & ad hoc, ut duo, vel plures teneantur insolidum, sunt duo necessaria, scilicet, quòd per pactum se obligent insolidum,

& quòd renuntient huic beneficio de duobus reis. Fidejussores autem huic Constitutioni renuntiare non debent, quia non competit eis, etiam si mille essent.

DE BENEFICIO CEDENDARUM, ET DIVIDENDARUM ACTIONUM.

**H**Oc beneficium dicit: Quòd si plures obligantur in una, & eadem re, sive principaliter, sive fidejussorie, possunt, qui solvere coguntur, postulare sibi cedi jura, & actiones, quas habet creditor contra alios conobligatos, & hujusmodi cessio debet fieri ante solutionem, vel in actu ipsius solutionis, ac per pactum; nam si fieret ex intervallo, non valeret, quia actio creditoris evanuit per solutionem, & nemo potest dare, aut cedere quod non habet; & hujus beneficii valet renuntiatio; si tamen unus est tantum debitor, nulla mentio de hoc beneficio fieri debet.

DE EPISTOLA DIVI ADRIANI.

**E**pistola Divi Adriani est quaedam lex, cujus beneficium competit duobus, vel pluribus fidejussoribus, & dicit: Quòd si plures fidejussores sunt idonei ad solvendum, debet unusquisque conveniri pro virili parte sibi contingenti, & propterea debent fidejussores renuntiare hujus Epistolæ beneficio.

*Nota:* Quòd Adrianus est nomen proprium illius Jurisconsulti, qui dictam Epistolam compusuit, & additur Divus, propter excellentiam, & honorem, & non causa sanctitatis, nam Jurium Conditores, propter eminentem scientiam, & Juris peritiam, quam habebant, olim vocabantur Divi.

## DE CONSUETUDINE BARCHINONÆ.

**E**st etiam consuetudo Barchinonæ, disponens: Quòd si sunt duo, vel plures debitores principales in solidum obligati, etiamsi renuntiaverint novæ Constitutioni, non tenetur solvere, nisi suam partem, nisi alter correat debitor fuerit absens, egens, vel non solvendo existens; & per aliam consuetudinem Barchinonæ extenditur etiam prædicta consuetudo ad fidejussores.

## DE NOVA CONSTITUTIONE DE

## Fidejussoribus.

**B**eneficium novæ Constitutionis de fidejussoribus, competit uni, vel pluribus fidejussoribus, & dicit: Quòd si aliquis pro altero fidejussorit, & postea fidejussorio nomine conveniatur, potest petere prius conveniri principalem, qui tamen principalis præsens, & idoneus ad solvendum esse debet; cui quidem beneficio potest renunciari.

Ex præmissis colligitur; quòd si sunt duo, vel plures principales, tantum renunciare debent beneficio de duobus reis debendis, beneficio cedendarum actionum, ac etiam consuetudini Barchinonæ.

Si autem sunt duo, aut plures principales, & totidem fidejussores in solidum obligati, habent locum omnes prædictæ renuntiationes, id est, beneficio de duobus reis debendis, cedendarum actionum, Epistolæ Divi Adriani, novæ Constitutioni de fidejussoribus, & consuetudini Barchinonæ.

Si solum est unus fidejussor, tantum renuntiare debet novæ Constitutioni de fidejussoribus, & beneficio cedendarum actionum.

Et tandem, si sunt duo fidejussores, & unus principalis, renuntiare debent Epistolæ Divi Adriani, Constitutioni de fidejussoribus, & beneficio cedendarum actionum, & consuetudini Barchinonæ.

Attentis præmissis distinctionibus, & menti traditis, evitabunt Tyrunculi supervacaneas renuntiationes, quas quotidie legimus in quampluribus instrumentis, solum per dictantium imperitiam appositas, & minimè juxta regulas Theoricæ.

#### DE BENEFICIO FORI.

**B**eneficium fori competit forensibus, & eorum fidejussoribus, & dicit, quòd *Actor sequi debet forum rei, & non reus forum actoris*, cui beneficio renuntiare non potest, quia nemo facere potest, quod ille sit suus Judex, qui non est; sed ad hoc, ut debitor possit etiam alibi, quàm in suo foro conveniri, fac, ut promittat solutionem facere ubicumque ab eo petatur; nam ratione solutionis ita destinaatæ ibi tenetur solvere, ubi promittit, & ita quotidie practicatur cum submissione cuicumque foro.

#### DE LEGE SI CONVENERIT &c.

**L**ex Si convenerit, ff. de jurisdictione omnium Judicum, dicit: Quòd si conveniatur inter partes, quòd judicet alius Judex, quàm ille, cujus jurisdictionis sunt res, licitum est, antequam lis contestetur, pœnitere, & ab

ipsa conventionione discedere : cui legi renunciari potest, & habet locum hujusmodi renuotatio , præsertim si apponitur illa usitata clausula *submitbens* , & *supponens* &c. & cum his renuntiationibus *fori* , & *legis* , si convenerit, poterit actor ubicumque reum convenire , ac etiam cum proxima sequenti.

*Nota* , quòd submissio per laicum , Ecclesiastico foro prohibita est , per expressam dispositionem *cap. 7. ex Regia Ordinatione anni 1736.* prout etiam præscribitur cuicumque Notario in Regio titulo ; solum enim permittitur submissio Ecclesiastico foro in casibus contentis in *Regio Decreto , ad supplicationem totius Cleri Sæcularis , & Regularis Provinciae Tarraconensis , edito die 8 Junii 1739.* quæ omnia vide , & tene mente.

#### DE JURE REVOCANDI DOMUM

**J**us revocandi domum dicit : Quòd si aliquis convenitur in loco , ubi domicilium non habet , nec ibi contraxit , non tenetur respondere , posito quòd ibi ad aliquam causam venerit , & habet jus revocandi domum, cui quidem juri optimè renuntiatur.

#### DE LEGE UBI COEPTUM EST JUDICIUM.

**L**ex ista dicit , quòd *ubi cæptum est judicium, ibi finem habere debet* ; cui potest renunciari , & habet locum quando debitor dat facultatē creditori variandi judicium.

#### DE LEGE SI QUIS PER IMPRUDENTIAM.

**P**er hanc legem disponitur : Quòd si Judex, aut per imprudentiam, vel aliàs, sententiam injustam protulerit



contra emptorem, venditor non tenetur de evictione, cui legi renuntiatur per venditorem in favorem emptoris.

### DE LEGE QUAE DECEPTIS.

**L**ex Quae deceptis, ultra dimidiam justii pretii subvenitur, dicit: Quòd si venditor in contractu venditionis est deceptus, ultra dimidiam justii pretii, debet rescindi contractus, vel sibi dari, quod plus valet res vendita, cui legi per venditorem renuntiari potest.

### DE DOLO MALO.

**E**xceptio doli mali locum habet, quando aliquis dicit, se dolo, vel calliditate alicujus inductum esse; nam dolus malus est: *Fallacia, seu calliditas, ad alterum decipiendum adhibita*, & huic beneficio renuntiari non potest, nam dolus futurus remitti non potest, bene verò præteritus.

### DE METU.

**B**eneficium exceptionis metus competit, quando quis causa metus aliquid fecit, seu promissit, cui beneficio renuntiatur, ne illius prætextu, id quod agitur, rescindatur.

### DE DELATIONE JURAMENTI.

**E**st & etiam lex alia, disponens *delationem juramenti, ante sui præstationem revocari posse*, cui potest renuntiari, & habet locum in contractibus venditionis, debiti, & aliis, quibus per vendentem, seu debitorem, emptori, vel creditori defertur juramentum.

## DE ERRORE CALCULI.

**B**eneficium erroris calculi dicit: Quòd si in aliquo contractu erraverint partes in computatione, debent iterum, & noviter computa examinari, licèt pluries computaverint, nisi huic beneficio expressè sit renuntiatum.

## DE INSTITUTIONE DONATIONIS.

**J**us quoddam est, dicens, donationem excedentem summam quingentorum aureorum, absque insinuatione, seu Judicis decreto, non valere in eo, quod excedit dictam summam, cui juri potest renuntiare donator.

## DE LEGE SI UNQUAM, COD. DE REVOCAN.

*Donat.*

**L**EX ista tribuit donatoribus, ut illi, susceptis liberis, factam à se donationem, sive universalem, sive particularem, revocare possint, cui legi non renuntiat generaliter, quia semper durat præsumptio legis, hoc est, patrem de prole non cogitasse, quia si superventuram sibi sperasset, non tanta facilitate res suas in alios profusurum fuisset; sed si specialiter huic legi renuntiatum esset, quia jam tunc cessaret talis præsumptio, valeret etiam renuntiatio, & multò melius, si de futura prole specificè cogitasset donator.

Illis autem legibus, quibus donationes causa ingratitudinis revocantur, seu revocari possunt, non potest renuntiari, quia bonis moribus, & naturali æquitati

contrarium esset, ac donatariis causa delinquendi tribueretur; & licet quotidie practicatur ujusmodi renuntiatio, solum per juramentum potest aliqualiter sustineri.

DE LEGE DE HIS, ff. DE TRANSACTIONE.

**P**rohibet ista lex transactionem facere super illis controversiis, quæ ex testamento proveniunt, nisi prius inspectis, cognitisque verbis testamenti, cui legi renuntiari non licet.

DE RECURSU AD ARBITRIUM BONI VIRI.

**R**ecursus ad arbitrium boni viri, hoc est, ad Judicem Ordinarium, habet locum in compromissis, & est quasi quædam species appellationis; nam sicuti à sententia injusta appellatur ad Judicem superiorem, ita etiam ab iniqua arbitri, seu arbitratoris sententia reclamatur ad arbitrium boni viri, qui est Judex Ordinarius ut illam revocet, seu emendet; & quamvis communiter apponitur in compromissis renuntiatio dicti recursus, sed tamen non valet, nam aliàs daretur arbitris, & arbitratoribus occasio delinquendi, & iniquas sententias proferendi; & hoc, licet partes juraverint compromissum, quia in tali juramento promissorio subintelligitur, si æque, & justè pronuntiaverint.

DE REDDIBITORIA, ET QUANTO MINORIS.

**H**æc lex tribuit illi, qui emit mulum, equum, aut aliquod animal, vitium, seu morbum habens occultum, vel incognitum, ut possit agere contra venditorem

torem actione redditoria, hoc est, infra sex menses utiles velle rem emptam reddere, & pretium recuperare, & etiam agere actione quanto minoris, hoc est, petere illam partem pretii sibi reddi, quam non dedisset, si scivisset illa vitia, seu morbos, vel quantò minus propter vitia valet animal, & hoc intra annum, quibus beneficiis potest renunciari per emptorem, certioratum de ipsis per Notarium.

#### DE BENEFICIO CONDITIONIS INCERTUM

**B**eneficium conditionis incertum habet locum, quando hæres institutus à patre in testamento, vult vendere de bonis paternis aliquid substitutioni subiectum, & facit renunciare fideicommissarium omni juri, virtute fideicommissi sibi pertinenti tunc, & etiam in futurum; cujus beneficii renunciatio non valet, quia juri futuro nemo potest renunciare, & solum per pactum potest jus futurum remitti.

#### DE LEGIBUS *ff. COMMUNIA, DE LEGATIS, L. SI DOBUS, §. Emptor, §. de Evictionibus, L. Si fundum.*

**R**enunciatur istis legibus per vendentem rem, substitutioni subiectam; nam cum illis cavetur, talem rem alienari non posse, & quòd si emptor scivit rei gravamen, perdat rem, & pretium.

#### DE LEGE RUBRI, ET NIGRI TITULI.

**L**ex ista prohibet fidejussorem dari pro dote restituenda, in restitutionis eventu, cui renunciari non potest,

test, quia esset contra bonos mores, & contra dictam legem, quæ inquit: *Si enim credendam sese, suamque dotem patri mariti existimavit, quare fidejussor, vel alius intercessor exigitur, ut causa perfidie in eorum connubio generetur.*

#### DE BENEFICIO CESSIONIS BONORUM.

**B**eneficium cessionis bonorum appellatur *Miserabile refugium*, & quidem meritò, quia eo gaudere conatur illi, qui mole creditorum grabati, non habent unde satisfacere, & sic bona sua creditoribus offerunt, & cedunt, & hoc præsertim faciunt, ut ne incarcerentur, vel excommunicentur, & ujsmodi cessio fit judicialiter, & cum injunctioe creditorum, potissimè eorum, à quibus executantur; & antiquitus solebat fieri hujusmodi cessio cum aliquo vilipendio, in finem, ut debitor tardius ad illum refugium recurreret: cui quidem beneficio renuntiari potest in locis, ubi viget consuetudo, quod quis possit ad carcerem se obligare, vel aliàs, potest incarcerari pro debito privilegiato. In Cathalonia autem cessio bonorum non eximit à carcere eum, qui obligatus est in guarentigia, hoc est, cum scriptura Tertii, juxta *præmaticam Domini Regis Petri, quæ est 8. & 10. tit. de Accions, y Obligacions.*

*Nota*, quòd habet locum hoc beneficium in omni contractu obligatorio, ad aliquid dandum, vel solvendum, non autem ad faciendum, qui debitor facti non gaudet hoc beneficio, nec liberatur cedendo, quia quis ubi tenetur ad factum, non potest impotentiam allegare,

re, nam facere sibi possibile est, unde, ex quo facere potest, & non facit, constat, quod est in dolo, & dolus non gaudet hoc beneficio, consequenterque non habet locum renuntiatio in tali debito.

## DE BENEFICIO ODOARD. DE SOLUTIONIBUS.

& foro clericorum.

**S**imile beneficium concessum est Personis Ecclesiasticis in cap. Odoard. ut si ære alieno grabati solvendo non sint, & juratoriam præbeant cautionem de solvendo creditoribus, si ad pinguiorem venerint fortunam, ab eisdem interea neque excommunicationibus, neque aliis censuris vexari possint: & huic beneficio, cum non solum singulis personis, sed etiam toto Ecclesiæ Ordini concessum sit renuntiari non potest: & idem dicendum est de foro Clericorum, quia in favorem totius Cleri inductum est.

## DE FERIIS.

**T**Ripliciter sunt feriæ, quædam sunt inductæ in honorem Dei, quibus renuntiari non potest; quædam sunt repentinae, scilicet, quando Rex mandat servare ferias, propter aliquod prosperè gestum, & quædam sunt in favorem hominum, ut feriæ messum, & vindimiarum; & dictis duabus ultimis feriarum speciebus renuntiari potest.



LIBER SECUNDUS  
 DE PRIMA PARTE ARTIS  
 NOTARIÆ,  
 SUPER CONTRACTIBUS IN SPECIE.  
 PROœMIUM.



**E**NOTATUM hucusque habetis (candidi Notariæ Tyrunculi) de Contractibus in genere, de Personis, Rebus, Obligationibus, Pactis, Renuntiationibus, & de multis aliis, quæ antecedunt contractus, stylo tamen plano, & simplici pro vestra intelligencia; & quia prædixi, quòd Ars Notariæ in tres principalissimas dividitur partes, nimirum de Contractibus, de Ultimis Voluntatibus, & Judiciis, sequitur per ordinem exponere primam partem de Contractibus in unaquaque eorum specie, quam pro majori claritate, & ut facilius per vos memoriæ commendetur, per decem Capitula dividere decrevi, & unumquodque Capitulum suis congruentibus paragraphis vestitum, adducere in modum sequentem.

# PRIMA PARS ARTIS NOTARIÆ,

DIVIDITUR PER DECEM CAPITULA.

- 1 De Emptione , & Venditione.
- 2 De Donatione inter Vivos.
- 3 De Fœudis.
- 4 De Emphiteosi.
- 5 De Dotibus.
- 6 De Debitis , & Creditis.
- 7 De Cessionibus.
- 8 De Locatione , & Conductione,
- 9 De Compromissis.
- 10 De Adoptione , & Arrogatione.

## CAPUT I.

DE EMPTIONE , ET VENDITIONE,  
Continet decem paragraphos.

- |                             |    |                        |
|-----------------------------|----|------------------------|
| 1 De Emptione, & Venditione | 1  | ficiario.              |
| 2 De Arrha.                 | 7  | De Servitutibus.       |
| 3 De Possessione.           | 8  | De Censualibus, & Vio- |
| 4 De Evictione.             | 9  | lariis.                |
| 5 De Usufructu.             | 9  | De Permutatione.       |
| 6 De Terrenario, & Super-   | 10 | De Insolutum Datione.  |



## §. I.

## DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

**E**Mptio est: *Alicujus rei pro certo pretio acceptatio*, & è contra, *Venditio est: Alicujus rei pro certo pretio datio*; nam quod de uno dicitur, de alio correlativè intelligitur esse dictum.

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *alicujus*, & non *omnis*, nam aliquæ sunt res, quæ neque vendi, neque alienari possunt, quas *in lib. 1. cap. 3. §. 1.* expositas habetis.

*Rei*, quod verbum est generale, comprehendens corporalia, incorporalia; mobilia, immobilia; presentia, futura; demonstrativa ad oculos, & demonstrativa ad intellectum.

Quare sciendum est, quòd illæ res dicuntur *corporales*, quæ sui natura tangi possunt, ut homo, fundus, vestis, & aliæ; *incorporales*, illæ, quæ sui natura tangi non possunt; ut jura, & actiones; *mobiles*, quæ per se, vel per alium moventur; per se, ut homo, & animalia, per alium, ut vestis per alium, & aliæ; *immobiles*, quæ nec per se, nec per alium moventur, ut domus, vel fundus; *præsentes*, quæ jam sunt in rerum natura; *futura*, quæ esse sperantur, ut fructus futuri, vel partus ovium; *demonstrative ad oculos*, quæ possunt videri, & subjacentur sensui, visui, & tactui; *demonstrativæ ad intellectum*, quæ solo intellectu percipiuntur prout est dimidia, vel tertia pars fundi pro indiviso.

*Pro certo pretio*, quia pretium certum est de substantia venditionis, & dicitur pretium, quia præire debet; emtor enim tenetur solvere pretium venditori, antequam res sibi tradatur, ut dominum rei consequi valeat, nisi aliud adducatur in pactum.

*Datio*, id est, traditio, dare enim propriè est rem accipientis facere, sed hïc datio sumitur impropriè per traditionem.

Venditio est duplex; alia scilicet *in scriptis*, de qua agitur in contractu, vel ante, ut inde fiat scriptura, quia *contractus legem accipiunt ex conventionione*; & alia est, *sine scriptis*, quia in ejus contractu non fuit actum inter partes, ut fiat scriptura, & licèt postea fiat, dicitur nihilominus, sine scriptis, cò quòd non fuit actum à principio.

Differentia est inter dictas venditiones, nam in venditione in scriptis, si res perit, periculo perit venditoris, & in ea locus est pœnitentiæ, donec scriptura sit à partibus firmata, si tamen non sunt datæ arrhæ: in venditione verò sine scriptis, non est locus pœnitentiæ, & si res perit, periculo perit emptoris.

In venditione considerantur substantia, natura, & accidens; *substantia* est, quæ dat esse contractui; *natura*, quæ nascitur ex esse contractus perfecti; *accidens*, quòd non est de substantia, nec de natura contractus.

De substantia venditionis sunt tres: scilicet, *Contrahentes*, res, & pretium; *Contrahentes*, quia si ignorantur nomina contrahentium, totus per consequens igno-

ignorabitur contractus; *res* debet esse talis, quæ possit alienari, & in contractum deduci; *pretium* debet esse verum, & non fictitium, & continens determinatam pecuniæ quantitatem.

De natura venditionis sunt tres, scilicet: *Rei traditio*, *Eviçtio*, & *Juramentum*; & hæc nascuntur ab esse ipsius contractus venditionis, quia naturale est, quod soluto pretio, sequatur rei traditio, sicuti etiam, accepto pretio, à venditore, teneatur iste de eviçtione, atque similiter contractum per juramentum confirmet.

Unde infertur, quod venditio continent sex Capitula, quorum tria sunt substantialia, nempe: Contrahentium, Rei venditæ, & Pretii; & alia tria sunt naturalia, scilicet: Traditionis rei, Eviçtionis, & Juramenti; si verò alia inveniantur Capitula, sunt accidentalialia, quæ possunt esse & abesse, pro ut est pactum de retrovendendo, (à nobis instrumentum gratiæ redimendi papellatum) quod ex omni jure tam Divino, Canonico, quam Civili licitum est, sive tale pactum sit perpetuum, sive ad certum tempus limitatum, ac etiam tam affirmativè, quam negativè conceptum.

Dicitur *affirmativè* conceptum, v. g. quod liceat redimere intra quinque annos, ajecta conditione ut eo termino lapso, amplius redimere non liceat: *negativè* dicitur, v. g. quod non liceat redimere nisi post quinque annos; cum tamen non concurrat pretii modicitas, qua tunc contractum arguit usurarium, & ejus naturam

mutat, quod Notarius atendere debet.

Perficitur venditio tribus modis; *primo*, solo consensu contrahentium, & non unius; *secundo*, per finalem actum scripturæ; *tertiò*, per rei traditionem, & pretii solutionem.

Dissolvitur etiam tribus eisdem modis, à contrario sensu sumptis, quia *contrariorum eadem est doctrina*, & uno *contrariorum cognito*, & reliquum cognoscitur; & valde congruum est, *unumquodque dissolvi eo vinculo, quo colligatur.*

## §. II.

### DE ARRHA.

**A**rrha est id, quod datur in signum emptionis, & venditionis, nam arrharum datio est: *Argumentum emptionis, & venditionis contractæ, sed nondum perfectæ*, hoc est, maxima probatio quòd præcessit contractus; unde, si unus contrahentium negaret contractum, & alter probaret donationem arrharum, tunc est maxima probatio, quòd contractus præcessit, & non opus est probare contractum, sed probando arrhas, probatur contractus.

Arrharum datio continet tres partes, id est Conventionem recipientis, Promissionem dantis, & Causam finalem, & dantur arrhæ, ut partes citius accedant ad perfectionem contractus; & consistere possunt in pecunia, in re mobili, vel immobili, ac in auro, vel argento.

Arrhæ aliæ sunt *nudæ*, quæ dantur nomine arrharum tantum, aliæ sunt *vestitæ*, quæ dantur pro parte solutionis pretii, & nomine arrharum simul; differentia inter

arrham nudam, & vestitam continetur in sequentibus  
exametris.

*Arrhæ, si dantur per rem, pretiumque, tenentur  
Partes servare id, quod constituere vicissim;  
Si nuda præstantur, tantum est pœna timenda;  
Illa tamen, quæ sic pactata, caduca manebunt.*

## §. III.

## DE POSSESSIONE.

**P**ossessio est: *Rei corporalis detentio corporis, & animi,  
Juris civilis adminiculo concurrente.*

## XPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *rei corporalis*, & non *incorporalis*, quia so-  
lùm corporalia possidentur; *incorporalia* verò, quæ sunt  
jura, & actiones, non possidentur, sed quasi possideri  
dicuntur, & quasi tradi, per patientiam, & usum.

*Detentio*, nam possessio naturaliter tenetur ab eo,  
qui ei insistit.

*Corporis, animi*, quia ad hoc, ut quis verè possi-  
deat, tria sunt necessaria scilicet, corporis actus, ani-  
mi affectus, & juris adminiculum.

Etymologia possessionis talis est, quòd venit à *pos*,  
& *sedeo*, & dicitur quasi *pedis positio*; & est triplex, sci-  
licet, *naturalis tantùm* quæ solo corpore detinetur, ut  
possessio *emphyteotæ*: *Civilis tantùm*, quæ solo animo  
detinetur, ut possessio *domini directi*; *naturalis, &  
civilis simul*, quæ corpore, & animo detinetur.

Et aliter triplex est possessio, scilicet, *plena*, quæ est  
illa,

illa, quam habet dominus, rem corpore, & animo possidens, id est, naturaliter, & civiliter; *semiplena*, quæ est illa, quam quis simpliciter habet, v.g. Pater hæredem instituit filium posthumum, & mater habens filium in ventre, intrat possessionem pro filio in hæreditate; *vacua*, est illa, quæ à nemine detinetur, uel propter negligentiam, uel propter absentiam, aut propter successionem.

Acquirimus possessionem per nosmetipsos, per liberos nostros, quos in potestate habemus, per seruos nostros, & alienos, quos boua fide possidemus, & per liberos bona fide possessos; & nobis acquisita seruatur per colonos, & inquilinos, per uassallos, & hæredes nostros.

Possessio, & dominum multis modis acquiritur, & præcipuè quinque sequentibus.

1 Per traditionem, id est, corporalem apprehensionem, nam possessio, quam quis corpore suo, uel saltem, oculis cum animi affectu, & uoluntate tradentis adipiscitur, naturalis est, & etiam civilis, qui uerò corpore possidet, habet naturalem, & qui animo, civilem possessionem.

2 Cum effectu clausulæ constituti, nam ille possidet cuius nomine possidetur.

3 Cum rem tibi commodatam, depositam, uel locatam uendidero, eo ipso, quo patior tuam esse, eam tibi trado.

4 Si quis merces in horreo positas, uel uina in cella existentia uendiderit, & claves coram horreo, & cella tradiderit, merces, uel uina tradita uidentur.

5 Si rem donavero tibi, & instrumentum rei tradidero, rem ipsam tradidisse creditur.

Virtus, & effectus possessionis est, quòd si tradens erat dominus, transfertur dominum in accipientem, & etiam est effectus, quòd si unus est in possessione, & alter venit, & petit, sed non probat, modò possessor absolvitur, quia *actore non probante, absolvitur reus*; & regulariter, pendente lite, manutinetur in possessione: si verò tradens non erat dominus, datur emptori via usucapiendi, & præscribendi, quia usucapio est: *Acquisitio domini, per continuationem possessionis, tempore à lege diffinito.*

## §. IV.

## DE EVICTIONE.

**E**VICTIO est: *Rei emptæ vel alio justo titulo acceptæ, per Judicis sententiam, alio evincente, causæ amissio.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *rei emptæ*, quia ille, qui emit rem, si res sit evicta, potest agere de evictione contra vendentem.

*Vel alio justo titulo acceptæ*, quia non solum ex venditione agitur de evictione, sed etiam ex permutatione, insolutum datione, & alio titulo translativo.

*Per Judicis sententiam*, quia si lata non est sententia contra emptorem, venditor non tenetur regulariter de evictione.

*Alio evincente, causæ amissio*, quia ille, cui res evincitur, amittit causam, & tunc agere potest de evictione.

Venditor in multis casibus non tenetur de eviçtione, & præsertim in quinque sequentibus.

1 Quando emptor emit mala fide, nam propter malam fidem, venditor non tenetur.

2 Quando per pactum est conventum, quòd venditor non teneatur, quo casu securius est addere in instrumento; *nec ad pretii restitutionem*, aliàs teneretur ad restitutionem pretii, quia unum est eviçtio, & aliud est interesse, quod *non præsumitur remissum, nisi sit expressum.*

3 Quando emptor, mota sibi lite, non denunciavit venditori tempestivè, id est, ante sententiam, & testium publicationem, ut eum defendat in lite, nisi venditor in contactu necessitatem denunciandi emptori remisserit per illam, qua utimur clausulam: *Ego enim gratis, & scienter, & ex pacto remitto necessitatem denunciandi, &c.*

4 Quando res est eviçta, & emptor in judicio noluit interesse.

5 Quando lata sententia contra emptorem, iste noluit appellare, nisi onus appellandi fuisset expressè remissum.

Ex prædictis colligitur, quantam in se afferant ut utilitatem clausulæ contentæ in eviçtione pactata; eviçtio enim, materia, & fomes est multarum litium, & per remissionem contentam in eviçtione pactata, omnes refecantur cabilationes, quia tritum est, quòd *remittenti jus suum non datur regressus*, sicque non debent Notarii omittere eviçtionem pactatam, præsertim in contractibus alicujus

substan-



substantiæ, licet aliquantulum laboris amplectetur.

## §. V.

## DE USUFRUCTU.

**U**susfructus est: *Jus utendi, & fruendi de rebus aliis, salva rerum substantia.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *jus*, quia usufructus est quid incorporale.

*Utendi, & fruendi de rebus alienis*, quia usufructus de rebus alienis, & non de propriis precipitur.

*Salva rerum substantia*, id est, præstita cautione de restituenda substantia, seu de indemnitate proprietatis.

Duplex est usufructus, scilicet *Formalis*, quia est ipsum jus servitutis, & vendi non potest, quia tale jus non est transmissibile; & *Causalis*, qui est ipsa perceptio fructuum, & iste optimè vendi potest.

Usufructuarius habet ampliorem usum, quam usufructuarius, nam iste solum habet nudum usum, hoc est, jus habitandi per se domum; ille verò potest vendere usufructum, id est, jus utendi, seu melius, fructus, commoditatem, & utilitatem.

Constituatur usufructus in venditione, locatione, stipulatione, & ultima voluntate, & finitur morte usufructuarii regulariter, dempto casu, quem habetis notatum infra *lib. 3. cap. 2. de Legatis*, §. 1. capitis diminutione maxima, vel media, & non utendo per certum tempus, id est, viginti annos inter absentes, & decem inter præsentis.

*Nota*, quòd in venditione usufructus, seu rei, quæ

non

non est, sed esse speratur, ut captus piscium, seu avium, seu perceptio fructuum, ut sit bene ordinata, vendi debent, non solum pices, aves, vel fructus, sed etiam captio, seu perceptio, seu jus capiendi, & percipiendi, nam etsi non capiantur, venditio non erit sine re, quia captio, seu perceptio, vel jus capiendi, succedit loco rei, secus si non caperentur, venditio careret re, & sine re, non potest esse venditio.

## §. VI.

## DE SERVITUTIBUS.

Servitus sumitur duobus modis; alia est *personalis*, & alia *realis*; de prima jam dictum est *in lib. 1. cap. 2. §. 4.* verbo *Servus*, ubi adducta est diffinitio. Servitus verò realis, de qua hinc loquitur, ita diffinitur: *Onus rei impositum, per quod ipsam rem ejus dominus alieno usui subjicere solet.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *onus*, quia servitus est onerosa domino fundi, ipsumque fundum vilescit.

*Rei*, id est, immobili, nam servitus in re mobili consistere non potest.

Cætera verba diffinitionis satis sunt clara, ad denotandum, quòd qui servitutem possidet, seu quasi, habet jus utendi in re aliena.

Servitus est duplex; *realis*, quæ debetur ab aliqua re; & *prædialis*, quæ debetur à prædio, & constituitur in venditionibus, pactionibus, stipulationibus, & ultimis voluntatibus.

Item:

Item : Servitus *realis* est quadruplex.

- 1 Ususfructus , consistens in jure utendi , & fruendi de re.
- 2 Usus , consistens in nudo usu , quem quis habet de re.
- 3 Habitatio , consistens in jure habitandi domum.
- 4 Opera servorum , quæ in servis constituitur.

*Prædialis* servitus est duplex , scilicet *Rustica* , quæ in campis , & aliis similibus consistit , ut iter , via , aquæductus ; & *Urbana* , quæ in ædificiis Civitatum , & Villarum est posita.

Et in his notandum est , quòd iter est : *Jus eundi , & ambulandi homo solus , seu portans equum , vel aliud animal.*

Via est : *Jus eundi , ambulandi , & trahendi trabes vehiculum , ligna , lapides , & similia.*

Aquæductus est : *Jus aquæducendæ per fistulas subterraneas , per fundum alienum.*

Servitus alienari non potest , nisi expressè dicatur , quòd , de servitute concessa alienatio fieri valeat , dicens : *Vobis , & vestris &c.*

### §. VII.

#### DE TERRENARIO , ET SUPERFICIARIO.

**T**errenarius est : *Qui dat terrenum , ad superficiem faciendam.* Superficiarius verò : *Qui accipit terrenum , ad superficiem construendam.*

Terrenarius habet in superficie quatuor jura sequentia.

- 1 Jus appellendi superficiarium , si ad solvendum mercedem cessaverit.

2 Quòd

2 Quòd superficiarius tenetur ei denuntiare , si vult , superficiem vendere.

3 Jus accusandi damnum dantes in terreno.

4 Civilem possessionem , quæ animo detinetur.

Superficiarius verò nabet in terreno quinque jura sequentia.

1 Naturalem possessionem , quæ corpore detinetur,

2 Utile dominium , non autem directum.

3 Jus retinendi possessionem , si esset expulsus.

4 Jus recuperandi possessionem , si esset expulsus.

5 Jus accusandi damnum dantes.

#### §. VIII.

#### DE CENSUALIBUS MORTUIS , ET VIOLARIIS.

**C**ensuale est : *Venditio juris percipiendi annuam , & rationabilem pensionem pro certo pretio.*

#### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *venditio* , quia censuale est contractus nominatus , venditioni similis ; nam in illo , sicut in ista , requiruntur consensus , res , & pretium , sine quibus subsistere non potest.

*Juris* , quia ipsum jus , quòd emptori transfertur ad petendum annuam pensionem , & pretium , quod pro ipso jure solvitur à dicto emptore , est causa materialis hujus contractus , sicuti mutuus consensus contrahentium est causa efficiens.

*Percipiendi* , quia emptor censualis , quandiù durat , ipsius pensionem percipit , sicuti venditor cogitur ad solvendum.

*Annuaam, & rationabilem pensionem*, hoc est, justum interesse, quia nec à Jure Communi, nec aliàs diffinitum erat quanta foret rationabilis quantitas, seu pensio, & ferè in unaquaque Provincia diversa erat consuetudo, quæ in his pro lege servabatur; nam *in dubiis, & opinionum diversitate, consuetudo est potissima legum interpretis*; & adhuc in nostra Cathalonia, licèt regulariter pensio censualis erat ad forum quinque pro centenario, in hoc tamen Episcopatu Dertusæ, ad majus forum, & usque ad septem, & dimidium pro centenario regulabatur.

Sed tamen nunc cessat omnis hùc usque observata consuetudo, nam per Regiã, Pragmaticã à Serenissimo Domino nostro Rege Ferdinando Sexto foelicis record. editam die 9. Julii 1750. diffinitum est, non posse vendi censualia ad majorem pensionem quam trium pro sentenario; & proinde inutilis jã nunc erit in censuali instrumento illa clausula: *Dono scienter, & gratis remitto si quid dictum censuale mortuum plus modò valet pretio antedictò.* (nisi fortè ad minus quàm trium pro centenario fuerit pactata pensio) Cum enim venditor pretium à lege præfixum integritèr percipiat, nihil sibi remanet ad donandum.

*Pro certo pretio*, quia in censuali, cum sit species venditionis, requiritur pretium certum, & substantialiter est necessarium.

Pensio censualis solvi debet in fine cujuslibet anni, à die venditionis computandi, & non antea, nec contrarium deduci potest per pactum, hoc est, quòd pensio sol-

vatur anticipatè, quia sapit usurarum, & prohibitum est; benè verò pacisci potest, quod pensio solvatur duabus solutionibus, v. g. in qualibet dimidio anno, prout practi-  
cari vidi in censualibus magni valoris, namque cum non anticipatè solvatur, licitum erit, & *pacta licita sunt adimplenda.*

Censuale dicitur mortuum, quia numquam moritur, cum mortuus jam non moriatur, & præcipuè, quia perpetuum est; nam licèt cum pacto gratiæ redimendi. (quod est de essentia contractus censualis) semper conveniatur, hoc fit ex parte, & in commodum venditoris; ex parte verò emptoris, qui numquam potest ad luedum cogere venditorem, perpetuum est.

Potest creari censuale ex pensionibus decursis alterius censualis, quia pensiones debentur jure actionis, & licitum quoque est, & valdè usitatum promittere venditores censualium, quod intra certum tempus meliorabunt cautiones, sub pœna consimilis pretii, quæ tali in casu luitioni deserviat.

Sed illicitum, & prohibitum est tradi per venditorem emptori pignora sorti æquivalentia, per istum retinenda, quandiù duret censuale, quia tunc penes emptorem essent res, & pretium.

Violarium, id est, Censuale vitalitium, est: *Venditio juris percipiendi annuam, & rationabilem pensionem, una, vel duabus vitis durantibus, pro certo pretio, facultate redimendi retenta.*

Violarium appellatur censuale mortale, seu moriturum, eò quia spirat in extremo ultimæ ex duabus vitis, & in his differt à censuali mortuo, sicuti etiam in foropensionis, nam cõmuniter regulatur ad rationem quatuordecim pro centenariõ, propter periculum perdendi pretium, seu capitale, quod subit emptor si non fuerit redemptum, una, vel duabus vitis extinctis; hæc enim violaria non comprehendit Regia Pragmatica reductionis censualium suprã citata, prout declaratum fuit in Regia Ordinatione, edita 14. Augusti 1753.

*Nota*, quòd licèt pactum meliorandi in sensualibus, ut prædixi, permissum sit, illicitum tamen est, & reprobatum in Violariis per *Constitutionem de anno 1702. incipientem: Com en los Contractes &c.* licèt contrarium teneat Josephus Comes in *tom. 1. sui Viridarii, cap. 20. §. 11. pag. 137. num. 35. ad 40.* eò quòd tempore, quod id scripsit, dicta Constitutio non facta erat; & postea in indice ipsius *tom. 1. sub. lit. P. verbo Pactum*, ac etiam in *tom. 2. cap. 1. §. 11. de Censualibus, & Violariis num 78.* retrocedit à dictis.

## §. IX.

## DE PERMUTATIONE.

**P**ermutatio est: *Vnius rei pro altera vicaria præstatio.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *vnus rei*, id est, habilis, & idonea ad contrahendum.

*Pro altera*, re quoque habili ad contrahendum, cum tamen in specie consistat, & non in pecunia, nam aliàs non esset permutatio, sed venditio.

*Vicaria*, id est, viciudinaria, seu hinc, & inde quia una par alteri obligatur rem à se permutatam tradere, & è contra.

*Præstatio*, id est, traditio, nam unusquisque permutator tenetur alterum facere dominum rei permutatæ.

Permutatio est contractus innominatus, quia licèt hæc dictio *permutatio* nomen sit, potest accommodari emptioni, & venditioni, & sumpto latè vocabulo potest venditio appellari permutatio, & quidem venditio olim à permutatione cœpit originem.

Contrahitur permutatio, quando conventum est inter partes, de dando speciem certam pro certa, non autem certam pro incerta, quia tunc esset alius contractus nominatus *do ut des*.

Perficitur permutatio interventu rei, ex utraque parte, scilicet, si alter ex permutatoribus, rem permutatam alteri tradit, nam tunc statim est perfecta permutatio, itaut nulli parti liceat divedere à contractu, quia mutuus consensus permutationis pactum efficit ratum, quod primo ante traditionem licebat; sed si unus permutator tradit rem suam alteri, & iste suam tradere recusat, competit illi actio præscriptis verbis contra alterum, ut rem tradat, vel potest agere conditione, ob causam ad repetendum rem, quoniam *adversario recusante, locus est pœnitentiæ*.



Dividitur permutatio in tres partes, in prima agitur de permutatione, facta ab uno permutatore; in secunda de rei permutata ab altero permutatore; & in tertia ponitur clausula generalis, quæ tria continet capitula; nam in primo ponitur promissio de utriusque rei permutatæ ad invicem possessione tradenda, in secundo, de utriusque rei permutatæ evictione, & in tertio ponitur juramentum.

Permutare possunt omnes, qui aliàs possunt contrahere, & permutari possunt omnes res, quæ in contractum deduci valent, excepta re minoris, quia alienatio rei minoris debet esse necessaria, & permutatio est voluntaria.

De substantia permutationis est res certa pro certa, de natura verò est evictio, ita quòd si res evincitur alteri ex permutationibus, habet specialem regressum contra rem à se permutatam.

## §. X.

## DE INSOLUTUM-DATIONE.

**I**nsolutum-datio est: *Quædam innominata conventio de re pro debito danda, ex cujus rei traditione, dominum transfertur in accipientem, si tradens erat dominus.*

Possunt insolutum-dari omnes res, quæ in contractum deduci, & alienari possunt, & insolutum-dare licet omnibus illis, qui aliàs contrahere, & de rebus suis alienare valent; & fit insolutum-datio creditori habere volenti, & debenti, ac habenti personam habilem ad recipiendum.

Sex capitula habet insolutum-datio, scilicet, contractuentium, causæ insolutum-dationis, rei insolutum-datæ, tradi-

traditionis, evictionis, & juramenti, & duo sunt de substantia, id est cause, & res.

Insolutum-datio, si datur res pro re, est contractus innominatus, sub illis verbis: *Do, ut des, vel do, ut facias*, & tunc si agitur de evictione rei insolutum-datae, competit actio ex pristina actione; si verò agitur ad perfectionem contractus, competit actio præscriptis verbis; si autem insolutum-datur res pro pecunia, est contractus nominatus, emptionis scilicet, & venditionis, & competit actio utilis ex empto, tam si agitur de evictione, quàm si agitur ad perfectionem contractus: & *nota*, quod non dicitur actio directa, sed utilis, quia non est vera emptio, cum ibi de pretio nulla mentio fiat.

Instrumentum debiti, quod est causa insolutum-dationis, debet regulariter penes creditorem remanere, ad hoc ut ipse de juribus ex priori debiti contractu sibi competentibus edocere valeat, nam quotiescumque in uno documento de alio fit mentio, non datur fides secundo, nisi primum ostendatur, per regulam: *Referens non probat, si non constat de relato.*

## CAPUT II.

### DE DONATIONE INTER VIVOS,

Continet tres Paragraphos.

- |   |                                   |   |                                     |
|---|-----------------------------------|---|-------------------------------------|
| 1 | <i>De Donatione inter vivos.</i>  | 3 | <i>De Insinnuatione Donationis.</i> |
| 2 | <i>De Revocatione donationis.</i> |   |                                     |

## §. I.

## DE DONATIONE INTER VIVOS.

**D**ONATIONUM species sunt sex, scilicet: Dos, donatio propter nuptias, sponsalitia largitas, donatio causa mortis, legatum, de quibus omnibus suo competenti loco singulariter pertractabitur; & altera est donatio simplex inter vivos, de qua hic loquitur, & ita diffinitur: *Quaedam mera liberalitas, à dante in accipientem collata, quæ nullo jure cogente conceditur.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *quædam*, ad differentiam aliarum donationum.

*Mera*, id est, pura, vel vera, non autem fictitia, vel simulata.

*Liberalitas*, nam donatio debet fieri spontè, & ex voluntate, nam si fieret ex necessitate, non esset donatio, quia nemo in necessitate est liberalis.

*Quæ*, nullo jure cogente, conceditur; nam hæc donatio non fit ex obligatione, vel debito justitiæ, sed ex gratitudine, & mera liberalitate.

In donationis instrumento dicendum est: *Donatione, scilicet pura, perfecta, simplici, & irrevocabili, quæ dicitur inter vivos*; sed notare oportet, quòd si donatio fit sub conditione, non debet dici pura, si ob causam, non debet dici simplici, & si esset revocabilis, non debet dici irrevocabili.

Donatio dicitur quasi *doni-datio*, & continet quatuor capitula, nempe, contrahentium, rei donatæ, traditionis rei,

rei, & juramenti, & in ea sunt duo de substantia, scilicet res donata, & consensus utriusque donatoris, & donatarii, sed sufficit quod Notarius acceptet donationem pro donatario absente, nam *ex stipulatione Notarii queritur jus absenti, & ignorantis*; reliqua duo capitula, id est, traditio, & juramentum sunt de natura.

Illi possunt donare, qui aliàs contrahere, & de rebus suis alienare valent, exceptis minore, quia in donatione non potest dari causa legitima, Tutore, Curatore, Procuratore, nisi mandatum habeat speciale, cohærede, nisi alter cohæres consentiat, socio, nisi alter socius consentiat, negotiorum gestore, & patre, qui nequit donare bona filii.

Donari potest omnibus habentibus sensum, & conformem intellectum, quare excluduntur Mente-captus, Mutus, Surdus, Prodigus, & alii similes; sed tamen potest istis assignari Curator, qui pro eis stipulet, & donationem acceptet.

Omnes res possunt donari, quæ in contractum deduci valent, ideòque res sacræ, religiosæ, sanctæ, publicæ, & aliæ similes à donatione excluduntur.

Contrahitur donatio ex decem modis sequentibus.

1 *Purè*, quando non apponitur dies, neque conditio, & tunc donatio est lucrativa, & si res evincitur donatario; non potest iste agere de evictione contra donatorem.

2 *Spontè*, quando asserit donator, spontè velle donare, & ideò apponitur illa clausula: *Non dolo inductus &c.*

3 *Sub conditione*, quando dicit donator: Dono tibi domum sub conditione, quòd des mihi tot libras; quo casu, si res evincitur donatario, potest agere de evictio-  
ne contra donatorem; & similiter contrahitur sub con-  
ditione quando dicit donator: Dono tibi domum, si  
pater tuus te emancipaverit.

4 *In diem*, quando donator donare promittit, v. g.  
hinc ad Pascha.

5 *Ex die incerto*, quando donator aliquid donat  
post mortem suam.

6 *Sub causa*, ut quia fuisti procurator meus, dono  
tibi librum.

7 *Sub modo*, ut dono tibi decem, ut scribas mihi  
codicem.

8 *Sub pacto*, ut dono tibi centum, cum pacto quòd  
vadas Romæ.

9 *Stipulatione*, hoc est, quòd donator stipulet ratam  
habere donationem.

10 *Traditione*, hoc est, quòd donator tradat do-  
natario rem donatam, saltem per æquipolens, id est, per  
clausulam constituti.

Perficitur donatio duobus modis, scilicet, simplici  
conventionem, vel nudo pacto, & tunc dicitur irrevocabi-  
lis, & parit obligationem contra donatorem ad rem tra-  
dendam; & etiam traditione, & non antea, ad hoc ut do-  
nator non possit rem donatam obligare, etenim antequam  
res donata tradatur, donator remanet dominus, unde per

conventionem perficitur donatio quoad obligationem tradendi, & per traditionem perficitur quoad domini translationem; verum tamen est, quod non requiritur strictè realis traditio ad perfectionem traditionis, sufficit enim per actus fictos juris proximos traditioni, hoc est, per clausulam constituti, quæ est verè translativa domini, & possessionis.

Si ex instrumento donationis non apparet, utrum donatarius præsens sit, vel absens, præsumitur absens, quia præsentia est quid facti, & factum non præsumitur, nisi probetur.

Donatio facta per patrem filio-familias, in sua patria potestate existenti, non valet, seu verius, non prodest, nam ipso facto res donata revertitur in patrem, eo quia *quidquid acquirit filius, acquirit patri*; sed si pater dum vixerit, non revocaverit donationem, morte confirmatur, & adhuc in certis casibus potest pater donare filio-familias, scilicet ex causa dotis, ex causa donationis propter nuptias, filio eunti ad castra, equos, & arma; eunti ad studia, libros; ex causa alimentorum, vel ad ad sacros ordines se promovendi, aut si remiserit usum-fructum in adventitiis.

Et ut valeat similis donatio, debet ante omnia pater emancipare filium; hoc tamen intellecto; quod si filius sit infans, id est minor septennio, debet fieri emancipatio cum Principis rescripto, & ante donationem, à Judice dandus est tutor minori, qui nomine istius donationem acceptet; sed si filius major sit septennio, cum sola simplici

plici emancipatione, valebit donatio.

Mater potest donare filio, & valeat donatio, quia non habet filios in potestate, & bona adventitia non quæruntur patri quoad proprietatem, sed tantum quoad usumfructum, & sic non videtur donationem esse factam ab uxore marito, mediante filio.

De donatione inter virum, & uxorem idem dicitur, quod dictum est de donatione per patrem facta filio-familias, hoc est, quod non valet, ne nimio amore exolientur, & ne donator fiat pauperior, & accipiens locupletior, & solum permittitur, quando maritus donat uxori vestes, vel denarios ad unguenta, aut aliquam modicam quantitatem, vel quando uxor donat marito militanti ad castra, seu naufragium passo: sed tamen, Jure Canonico proclamante, valebit donatio inter virum, & uxorem, si juramento roboretur.

Minor viginti quinque annis non potest facere donationem, remissionem, seu absolutionem illi, sub cujus est potestate, nisi cum consensu trium personarum, sibi magis conjunctarum ex parte patris, & aliarum trium ex parte matris, & in ipsorum defectum, cum consensu trium magis amicorum, & Judicis decreto, ac juramento adulti, asseverantis sibi illas personas fore magis conjunctas, vel amicas, prout ita cavetur *in Constit. 2. tit. de Tutors, y Curadors, lib. 5.* sed si ipse minor major fuerit viginti annis, licet minor viginti quinque, non sunt necessaræ prædictæ solemnitates.

Donatio universalis absque congrua reservatione ad testandum, non valet, etiamsi fuerit juramento vallata, quia est libertatis testandi abdicativa, & repugnat bonis moribus, & *infactis contra legem, si non valet quod fit ultra, non valet etiam quod fit intra.*

## §. II.

## DE REVOCATIONE DONATIONIS

**R**evocatur donatio propter ingratitudinem, vel offensam per donatarium donatori illatam; nam ingratitudo est: *Ventus urens, & desiccans fontem pietatis, ore misericordia fluente gratias.*

Et causæ, quæ ex ingratitudine donatarii procedunt, & quibus donatio inter vivos revocari potest, sunt quinque.

- 1 Si grave damnum in rebus donatoris intulerit.
- 2 Si atroces injurias in donatorem conjecerit.
- 3 Si impias manus in donatorem admoverit.
- 4 Si vitæ donatoris periculum inferre præsumperit.
- 5 Si pactum in donatione appositum non servaverit.

Quæ omnia in sequentibus exametris continentur.

*Quinque modis perdam, quæ mihi largita fuere:  
 Confero si damnum graviter largientis in ære,  
 Sitque ferox forsam per me isti injuria facta,  
 Vel si personam manuali vulnere tango,  
 Aut vitæ dantis crudeliter insidiabor,  
 Atque etiam factum justum, si fregero pactum.  
 Ingratus danti confestim jure putabor.*



Hæres donatoris non potest per ingratitude[m] revocare donationem, quia actiones istæ sunt personales.

Clausula, quæ apponitur in donationibus, quod nec ob ingratitude[m] donatio revocari possit, non valet, quia est contra bonos mores, & per illam invitaretur donatarius ad delinquendum contra donatorem.

## §. III.

## DE INSINUATIONE DONATIONIS

**I**nsinuatio est: *Quidam actus denu[n]tiatorius, & declaratorius, in quo Judicis ordinarii assensus petitur, & requiritur.*

Necessaria est insinuatio in donatione excedente quingentos aureos, per dispositionem nostri Municipalis Juris in *Constit. unica, tit. de Donacione*, incipiente: *Per tolre &c.* & similis donatio in scriptis fieri debet, & pro unoquoque aureo assuetum est inter nos intelligere unam libram.

Debet fieri insinuatio coram Judice competenti, qualis est ille, cui subest donator, vel saltim res donata, & ille est competens, qui est ordinarius capitæ Vicariæ ubi fiunt donationes; verum si donator suum principale domicilium habeat in Villa Baronali, seu alterius jurisdictionem habentis, debet fieri coram Bajulo, & in Cuaria illius.

Si donatio excedens quingentos aureos, seu libras, fiat absque insinuatione, solum usque ad dictam summam sustinebitur, & in reliquo non valebit.

Non requiritur insinuatio in donatione, quæ fit propter

ter nuptias, ex causa mortis, vel redimendi captivos, si fiat militi propter à se benè gesta in bello, si fiat pro reparanda domo diruta, vel si remittuntur usuræ, & tandem donatio remuneratoria non indiget insinuatione.

Similiter in donatione, juramento vallata, non requiritur insinuatio, quia juramentum supplet defectum insinuationis, sed hoc est verum in præjudicium donatoris, non autem alicujus tertii, quia *juramentum unius non potest alteri esse damnosum.*

Insinuatio donationes potest fieri Judici competenti per donatorem illius auctoritatem, & consensum supplicentem, nedum ante, sed etiam post factam donationem; & cum talis insinuatio causæ cognitionem non requirat, potest expediri quocumque die, etiam in Dei honorem feriato.

### CAPUT III.

#### DE FEUDIS.

Continet quatuor paragraphos.

- |   |                        |  |   |                                 |
|---|------------------------|--|---|---------------------------------|
| 1 | <i>De Feudis.</i>      |  | 3 | <i>De Homagio.</i>              |
| 2 | <i>De Investitura.</i> |  | 4 | <i>De diversitate Feudorum.</i> |

#### §. I.

#### DE FEUDIS.

**L**ICET materia feudorum his ferè temporibus jam abiit ab usu, non tamen est omittenda, nam de his, quæ possibilis sunt, & contingi possunt, notitiam habe-

habere oportet, sicque sciendum est, quòd feudum est:  
*Rei immobilis ob homagium benevola facta concessio.*

EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *rei immobilis*, quia feudum debet fieri de immobili, vel de his, quæ inter immobiles computantur.

*Ob homagium*, hoc est, ob fidelitatem, vel debitum fidelitatis exercitium, quod vassallus facit domino, ob istius honorem.

*Benevola*, quia fit ex gratia, & benevolentia, unde beneficium appellatur, nam est in honorem domini, & amorem vassalli.

*Concessio*, non autem translatio, quia non transferuntur jura in vassallum, nisi quod dominum utile; seu naturalem possessionem, & utilem rei vindicationem.

Feudum dicitur à fidelitate, quam vassallus domino facere, & jurare tenetur.

Concedere possunt in feudum illi, qui domini sunt rei, quam dant in feudum, ut Imperator, Reges, Duces, Marchiones, Comites, & alii valerosi homines, & omnes alii, dummodo possint de rebus suis alienare, & super ipsis contrahere, & sint in aliqua dignitate constituti, ex consuetudine, nam à jure etiam rusticus in feudum concedere potest, si dives fuerit; spirituales verò, seu Ecclesiæ in feudum quoque concedere possunt, si sunt in consuetudine acquirendi vassallos, quia si non sunt, de novo acquirere non possunt.

Sed non possunt concedere illi, qui contrahere nequeunt,

queunt, ut minor, impubes, & alii; Pubes verò optimè potest cum juramento propter auctenticam Federici Imperatoris supra explicatam *lib. 1. Cap. 2 §. 3.*

Concedi potest in feudum illis, qui possunt feudo servire, dummodo sint majores quatuordecim annis, nam hujus ætatis minori concedi non potest, libero homini masculino, vel fœminæ, ac etiam servo, si ejus dominus consentiat, set non potest consedi illi, qui feudo servire nequit, ut est mutus, surdus, claudus, vel aliter imperfectus, Monachus, Monialis, & cæteri in Religioni professi.

Possunt in feudum consedi res immobiles, quæ aliter alienari possunt, & quæ non abent impedimentum à lege, quare excluduntur res sacræ, sanctæ, religiosæ, & aliæ similes.

Instrumentum feudi dividitur in duas partes, prima continet sex capitula, scilicet: Contrahentium, rei, traditionis, evictionis, investituræ, & juramenti: secunda verò continet duo Capitula, fidelitatis nempè, & homagii.

De natura contractus feudalis sunt, vel requiruntur novem.

- 1 Quòd dominus retineat sibi proprietatem, & dominium rei in feudum concessæ.
- 2 Quòd Vassallus præstet servitium personale domino feudi.
- 3 Quòd feudum sit perpetuum, regulariter.
- 4 Quòd dominus per semetipsum, aut per procuratorem, mittat Vassallum in possessionem investituræ.

5 Quòd

5 Quòd si est contraversia inter Vassallos, dominus cognoscat.

6 Quòd foemina non potest succedere in feudo, nisi sit conventum; attamen in Cathalonia per Constitutionem, mortuo vassallo, & remanente tantùm filia, succedit in feudo ac si esset masculus.

7 Quòd vassallus non potest alium vassallum facere de eodem feudo sine domini voluntate.

8 Quòd non detur aliquid pro intrata.

9 Quòd vassallus non potest alienare feudum sine domini voluntate.

Dominus potest revocare feudum ex septem causis sequentibus.

1 Si vassallus alienaverit feudum sine licentia domini.

2 Si vassallus dimiserit dominum periclitantem in praelio.

3 Si vassallus procuraverit mortem domini.

4 Si vassallus noluerit servare feudum.

5 Si vassallus se immiscuerit cum uxore, filia, nepote, vel nuru domini.

6 Si vassallus commiserit contra dominum aliquam ex illis causis, quibus donator potest revocare donationem; vel ex illis, quibus pater potest exhæredare filium.

7 Si vassallus non petit investituram intra tempus statutum.

§. II.

### DE INVESTITURA.

**I**nvestitura est: *Hasta, vel alterius cujusvis corporis projectio à domino investituram se facere dicente facta.*

Q

Investi-

Investitura feudi fit honore domini, & amore vassalli, & debet fieri coram aliis vassallis domini saltem duobus, si dominus habuerit vassallos, & si non, fieri potest coram aliis quibusvis testibus idoneis, non quidem quod investitura non valeat sine testibus, & juramento, sed ne veritas occultetur, & ut liqueat in aperto de concessione feudi; attamen, sine testibus, & juramento benè potest fieri, quia *jus numquam deficit, licet aliquando probationes deficiant.*

Solet fieri investitura secundum dignitatem accipientis, nam Comes, qui feudum accipit ab Imperatore, vel Rege, investitur equo, & ancipite; si quis autem accipit feudum à Comite, vel ab alio, investitur baculo vel chiroteca, & propriè investitur quando dominus hastam, seu aliquit corporeum dat vassallo, dicens, se facere investituram.

### §. III.

#### DE HOMAGIO.

**H**omagium est: *Subjctio quedam, quam homo homini in corpore facere tenetur.*

Dicitur homagium quasi *hominis actio*, nam ex hoc vassallus dicitur homo domini, & isti certis de causis, perpetuo se supponit.

Constituitur homagium per juramentum fidelitatis, quod præstat vassallus per investituram de feudo sibi à domino factam, & non antea, nam ante investituram non valet.

Vassallus debet præstare homagium mortuo domino intra annuam & diem, si plebeius ferit ipse vassallus; si autem fuerit militaris, intra annum, & mensem, à mor-

te domini computandum ; & idem est , si domino super-  
 stite , moriatur vassallus , nam intra dictum tempus , ejus  
 filius , in quem feudum transfertur , præstare debet.

Virtute homagii vassallus tenetur domino in sex.

- 1 De non faciundo contrafactum domini.
- 2 De non procurando damnum in corpore domini,  
 immò pro viribus vitando.
- 3 De non procurando damnum in rebus domini,  
 immò utilia pro posse curando.
- 4 De non revelando secreta domini , quod intellige  
 de revelatione domino perjudiciali , non autem de utili.
- 5 De procurando honestatem domini uxoris , filia-  
 rum , & aliarum personarum domino conjunctarum.
- 6 De fideliter auxiliando dominum , salva Regia  
 Magestate , & Republica , quibus prima fidelitas strictè  
 debetur.

Quæ omnia jurat vassallus oretenus exprimendo , &  
 in manu ipsius domini recipientis , & pro his dicitur  
 homagium ore, & manibus commendatum, juxta usaticos  
 Barchinonæ , & Constitutiones generales Cathalonix.

#### §. IV.

#### DE DIVERSITATE FEUDORUM.

**M**ultæ sunt feudorum species, & divisiones, quas om-  
 nes hic recensere logum esset , & pro aliquali  
 Tyruncolorum notitia tantummodo adnotantur sexde-  
 cim sequentes.

- 1 Feudum *proprium*, quando insipit à traditione.

2 Feudum *improprium*, quod fit mediante aliquo signo, ut ense.

3 Feudum *Ecclesiasticum*, quod datur, vel suscipitur ab Ecclesia.

4 Feudum *Sæculare*, quod recipitur à Principe, vel ab alio sæculari domino.

5 Feudum *Regale*, quod est dignitas, & in eo requiruntur duo, quod Regnum, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, vel alia similis dignitas concedatur, & quod ab Imperatore, Rege, vel alio supremo Principe tradatur.

6 Feudum *non Regale*, quod ab eo, qui superiorem recognoscit, conceditur.

7 Feudum *nobile*, quod conceditur à Papa, vel ab Imperatore, & possessorem nobilem facit.

8 Feudum *minus nobile*, quod Dux, Marchio, vel Comes concedit alicui, & iste dicitur verveffor, seu vassallus.

9 Feudum *innobile*, quod ab ipso verveffore minimo conceditur.

10 Feudum *reale*, quod transit ad hæredes, tam ex parte dantis, quàm accipientis.

11 Feudum *personale*, quod ad vitam conceditur, & non transit ad hæredes.

12 Feudum *personalissimum*, quod nec ex parte dantis, nec ex parte recipientis transit ad hæredes.

13 Feudum *corporale*, quod in rebus immobilibus corporeis consistit.



14 Feudum *incorporale*, quod in rebus incorporeis, ut indecimis, jurisdictionibus, & aliis similibus consistit.

15 Feudum *antiquum*, quod à majoribus ultra quartum gradum fuit acquisitum.

16 Feudum *novum*, quod habuit principium à possidente, seu investito, & si nobilitatem acquisivit ex feudo novo, nobilitatem perdit, si illud amiserit, quia *cessante causa cessat effectus*.

## CAPUT IV.

## DE EMPHITEOSI.

Continet quatuor paragraphos.

1 De Emphiteosi.

3 De Fatica.

2 De Laudemio.

4 De Amortisatione.

## §. I.

## DE EMPHITEOSI.

**E**mphiteosis est: *Rei immobilis ad in perpetuum, vel ad certum tempus alteri facta concessio, dominio, & proprietate retentis, sub conditione annua pensionis, & renovationis finito concessionis tempore faciendæ.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *rei immobilis*, quia solum in immobilibus consistit Emphiteosis.

*Ad in perpetuum, vel ad certum tempus*, quia duplex est Emphiteosis, alia *perpetua*, & alia *temporalia*, & dicitur *perpetua*, quando sine præfixione temporis consti-

tuitur,

tuitur, & in infinitum porrigitur; *temporalis* verò dicitur, quæ fit cum præfixione temporis, & spirat eo finito.

*Alteri*, id est, personæ habili ad se obligandum ad pensionem sensus solvendam.

*Facta concessio*, & non traditio, quia solum traduntur Emphiteotæ jura quoad naturalem possessionem, & utile dominum.

*Dominio*, & *proprietate retentis*, quia penes concedentem remanet dominium directum, proprietas, & civilis possessio.

*Sub conditione annuæ pensionis*, quia de substantia Emphiteosis est, ut annua pensio domino præstetur, in recognitionem domini directi.

*Et renovationis &c.* quia temporalis facta Emphiteosis, spirat adveniente termino, si non renovatur.

Emphiteosis est nomen græcum, significans meliorationem, ò ideò latinè appellatur melioratio; & fuit inventa per Zenonem Imperatorem, qui videns olim, quòd multæ terræ erant incultæ defectu laborantium, hunc contractum de novo induxit, sicque juris civilis esse constat.

Multis nominibus appellatur Emphiteosis, scilicet fictus, census, libellus, precarium, & in nostra Cathalonia stabilimentum, sed quisque utatur nomine, quo in sua Regione, quia *cum Romæ fueris, Romano vivito more*: sed scitote, ò Notariæ Tyrunculi, quòd idem est stabilimentum, & Emphiteosis, ut nulli vestrum contingat, quod accidit cuidam Notario, mihi valdè noto, qui interroga-

tus in suo examine super contractu Emphiteosis, cum ignorasset, quòd idem est Emphiteosis, & stabilimentum, respondit: *Señor, en mi tierra no se usa tal contracto*, cum qua responsione omnes audientes excitavit ad irritationem.

Concedere possunt in Emphiteosim omnes illi, qui possunt aliàs contrahere, & de rebus suis alienare, quare excluduntur furiosus, mente-captus, mutus, surdus, & alii similes; concedi verò potest omnibus illis, qui possunt se obligare ad pensionem census solvendam; & omnes res immobiles, tam rusticæ, quàm urbanæ, quæ alienari non prohibentur à lege, in Emphiteosim concedi possunt.

Contrahitur Emphiteosis quinque modis sequentibus.

- 1 Scriptura interveniente ad in perpetuum.
- 2 Ad tempus limitatum, ut modicum, vel non modicum, hoc est, à decem annis infra, vel ad tertiam, seu quartam personam.
- 3 Ut quolibet anno salvatur annua pensio in pecunia, vel alia re, seu specie.
- 4 Ut tempore concessionis aliquid domino solvatur pro intrata.
- 5 Ut cum ad quartam personam perveniat, fiat renuntiatio.

Denatura Emphiteosis sunt quinque.

- 1 Quòd liceat domino auctoritate sua Emphiteotam, seu ejus successorem expellere, si per triennium cessaverit solvere pensionem, & si per biennium quando dominus est Ecclesiasticus; sed *nota*, quod de jure Municipali Cathedralo-

thaloniæ hoc commissum non habet locum, sed Emphiteota non solvens canonem, seu pensionem, punitur in duplum.

2 Quòd Emphiteota debet præstare domino annuam pensionem certam, & determinatam.

3 Quòd Emphiteota antequam vendat rem emphiteoticariam, denuntiet domino.

4 Quòd omne pactum inter dominum, & emphiteotam factum servetur, quia iste contractus est multorum pactorum capax.

5 Quòd unoquoque anno solvatur assignata pensio, nisi res periret tota, quia *res perit domino, & damnum interius spectat ad eum*, secùs si periret in parte; unde dantur ii vulgares versus.

*Si res perit tota, liberatur Emphiteota,  
Sed si pro parte, nulla liberabitur arte.*

De substantia Emphiteosis sunt tres, scilicet: Res, pensio, & intrata, quibus addi potest scriptura, sine qua contractus Emphiteosis non valeret.

Intrata apponitur in isto contractu ratione ingressus possessionis naturalis, quæ Emphiteotæ conceditur; & pro Emphiteosi datur actio ex lege; nam iste contractus non erat per se potens ad producendam obligationem, si vires non accepisset à lege Zenonis.

Emphiteosis est contractus nominatus, nam habet suum proprium, & peculiare nomen, ab aliis contractibus distinctum, sicque in eo, sicut in cæteris nominatis,

non

non est locus pœnitentiæ; bene tamen potest Emphiteota renuntiare rem emphiteoticam domino directo, solutis prius censibus usque in diem renuntiationis debitis.

Precarium proprietatis, quod appellatur in genere foemenino (vulgò *Carta precaria*) ejusdem est naturæ quàm contractus Emphiteosis, & est: *Illa nova laudatio, seu renovatio, quæ fit à domino in favorem Emphiteote, de re emphiteotica, ob titulorum defectum*; cum enim Emphiteota titulis careat, dominum deprecatur, ut emphiteosim renovet, cujus precibus dominus ipsam precanti concedit.

Sed quando sunt domini, hoc est, directus, & medius, est ab isto firmanda, qui est *còs à còs* cum Emphiteota, nisi sit in nuda perceptione, quia tunc debet à domino directo firmari.

Veruntamen est, quòd debet Notarius attendere, si ille dominus, qui firmat cartam precariam, est dominus proprietarius; nam si solùm est usufructuarius, finito usufructu, finiet precarium, quia *resoluto jure dantis, resolvitur jus accipientis*.

*Nota*, quòd licet in Civitate Barchinonæ, ejusque hortis, & vineto possint dari quatuor domini in uno prædio, nempe, unus directus, & tres medii, in vim Privilegii intitulasi *Recognoverunt Proceres*, eidem Civitati concessi, non verò dari possunt in reliqua Cathalonia, quia Privilegium illud est locale, ipsius Civitatis, & etiam, quia ex pacto expresso in contractu Emphiteosis inito, nullum

alium dominum proclamare valet Emphiteota, qui alteri restabiliendo cum aliqua retentione laudemii, valorem prædii minueret in domini directi præjudicium, etsi plures domini ultra directum constituantur, solum censum in nuda perceptione habere possunt, prout expressè sancitum est in *Constitutione Domini Regis Caroli, in Curia Barchinonæ, cap. Item, com moltes vegades se esdevenga &c. ibi: La qual imposició, com ja es de dret, y acostumat, hajan à fer en nuda percepcio &c.*

## §. II.

## D E L A U D E M I O.

**L**audemium est: *Illa pars pretii, seu estimationis rei, quæ ad aliam personam transfertur, debita, & solvenda, juxta Regionis consuetudinem dominis directis propter firmam, laudamentum, seu subscriptionem, vel approbationem per ipsos factam.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur illa pars, ad denotandum, quòd non solum laudemium, sed etiam tertium, seu foriscapium nuncupatur, quæ omnia sunt synonyma.

*Pretii, seu estimationis,* quia laudemium nedum debetur ex alienatione, quæ fit titulo onerosa, verum etiam ex ea, quæ fit titulo lucrativo, ita ut si prædium emphiteoticum venditur, solvitur laudemium ex pretio venditionis; si verò titulo lucrativo distrahitur, tunc solvitur laudemium ex æstimatione prædii, tituli lucrativi dicuntur legatum, donatio, hæredis institutio, successio ab in-

testato, fideicommissum, vinculum, substitutio, & alii similes.

*Quæ ad aliam personam transfertur*, quia ad hoc ut debeatur laudemium, & veniat exegendum requiritur, quòd realis, & actualis traditio rei venditæ subsequatur, & non sufficit ficta traditio, hoc est, clausula constituti, & precarii; nam licet dicta ficta traditio eisdem producat effectus, quoad acquisitionem dominii, sicut vera, & realis traditio, quæ fit per immiſſionem in possessionem, non tamen ex ipsa ficta traditione laudemium debetur, quia dictæ clausulæ nullum operantur effectum, neque acquirenti jus in re constituunt sine consensu, & voluntate domini in rebus emphiteoticariis, in quibus alius dominus recognoscitur.

*Juxta Regionis consuetudinem*, ad enucleandum, quòd in laudemiorum materia standum est consuetudini uniuscujusque Regionis, pactis deficientibus.

Laudemium dicitur à *laudo*, eo quia domini directi laudant, & approbant alienationes rerum, quæ pro eis, & sub dominio eorum tenentur; & ipsi domini directi possunt petere laudemia actione hypothecaria, cum pro ipsis habeat dominus tacitam hypothecam.

De Jure Communi laudemium est quinquagesima pars pretii, seu æstimationis rei, quæ in aliam personam transfertur; sed tamen in Cathalonia unaquæque ferè Vicaria suam habet in hac materia diversam consuetudinem; in hac Civitate Dertusæ laudemium est decima pars, id est,

duo solidi pro libra, sicuti etiam solvitur laudemium per acquirentem, licet aliis in partibus solvatur per alienatorem, quare in hac laudemiorum materia me refero ad præscriptæ diffinitionis verba, nempe, *juxta Regionis consuetudinem*, quia deficientibus pactis, recurrendum est ad Regionis consuetudinem, antequam ad Jus Commune recurratur.

## §. III.

## D E F A T I C A.

**F**atica circa subjectam materiam est: *Jus prælationis, seu retinendi rem feudalem, vel emphyteoticariam alienatam pro eodem pretio, domino directo competens.*

Verba prædictæ diffinitionis satis sunt clara, & non indigent expositione, & solum venit notandum, quod dominus directus potest intra tringita dies uti fatica, seu jure prælationis, vel retractus, ipsam rem emphyteoticariam alienatam fatiendo Pro eodem pretio, quo alteri fuit vendita, & dicti tringita dies numerantur à die ipsi domino directo factæ denuntiationis.

Et licet denuntiatio prædicta potest fieri domino directo à quocumque ex contrahentibus, venditore scilicet, & emptore, non tamen sufficit, quod fiat verbaliter, neque in genere, sed debetur instrumentum venditionis ipso domino directo præsentari, ut plenius certioretur de re vendita, de pretio, & aliis circumstantiis, ut ita valeat deliberare, vel contractum laudare, vel rem retinere.

Dominus directus non solum penes se retinendo, sed

etiam



etiam alteri concedendo potest uti fatica, nulla adjecta differentia an dominus laicus sit, vel Ecclesiasticus.

Habet locum fatica non solum in venditionibus, & stabilitatis, sed etiam in omni contractu innominato *do, ut des*, si res debeat dari pro certa pecunia, licet non sit venditio, sed non habet locum in contractibus donationis, permutationis, revenditionis, transactionis, nisi res detur pro pecunia numerata ex causa transactionis, & generaliter non habet locum in illis alienationibus, in quibus dominus non potest dare, vel facere illud, quod per alium, in quem facienda est translatio utilis domini, dandum, vel faciendum est.

Quamplurimi sunt casus, in quibus dominus directus privatur fatica, quorum explicationem ommitto, cum pro Tyruncolorum rudimentis non valde sint necessarii; sufficet scire, quod ille, in cujus favorem dominus directus usus fuit fatica, debet, mediante publico Notario, interpellare emptorem, declarando illi, quod dominus directus in sui favorem usus fuit fatica, cum ostensione instrumenti concessionis faticae, & quod ei restituat possessionem, offerendo ei pretium, & interpellando ut illud recipiat, unà cum omnibus expensis, & quod illicò ei firmet revenditionem, & si emptor recusat, debet pretium, & expensas deponere ad soltam Judicis, ipsumque emptorem coram Judice competenti citare, petendo eum condemnari ad faciendam revenditionem, attento quod dominus directus in sui favorem usus fuit fatica;

& omnia supradicta fieri debent intra triginta dies, nam eis lapsis, præscribitur fatica.

*Nota casum singularem, in quo fatica legalis competens domino directo, privatur per fatiçam conventionalem. Quidam vendidit rem emphiteoticariam, cum pacto de retrovendendo, adjecta conditione de non alienando jus luendi, nisi in favorem emptoris, seu isti concedendo jus prælationis in dicto jure luendi, & dominus directus dictam venditionem laudavit, & firmavit, & eveniente casu venditionis juris luendi, præfertur habens fatiçam conventionalem, domino directo habenti fatiçam legalè.*

§. IV.

D E A M O R T I S A T I O N E.

**A** Mortisatio est: *Directi vel feudalis domini rei in manum mortuam translata, justa interveniente compensatione, legitima facta suspensio.*

Pro intelligentia hujus diffinitionis, sciendum est, quòd manus mortua propriè dicitur illa, quæ non habet liberam, & spontaneam facultatem disponendi de rebus suis, ut sunt Ecclesiæ, Civitates, Coliegia, Universitates, Monasteria, Confratriæ, seu aliud quodcumque Corpus, tam Ecclesiasticum, quàm Sæculare, & dicitur manus mortua, quia sicut semel jam mortuus, amplius non moritur, ita quoque Corpus hujusmodi immutatum permanet, & quod semel acquirit, difficilè dimittit, sed accumulando conservat.

Fuit inventa amortisatio, ne domini directi defraudentur

dentur laudemiiis, quæ ex alienationibus rerum emphiteoticarum solent ipsis pervenire, quia quando res ad manum mortuam perveniunt, non alienantur, nisi magna cum difficultate, ideòque per hoc amortificationis remedium, manus mortua, ad quam res emphiteotica pervenit, tenetur talem rem in manum habilem transferre, aut illam amortificare, quia amortificatio cedit in compensationem laudemiorum, quæ aliàs dominus potest acquirere, & debet fieri amortificatio intra unum annum, à die mandati per dominum directum facti computandum.

Electio verò amortificationis est in dominum directum, ita ut, si isti non placuerit, quòd res emphiteotica remaneat penes manum mortuam etiam cum amortificatione, cogitur dicta manus mortua rem ipsam in personam habilem transferre, quia remanere, vel non, à solius domini directi voluntate dependet, nisi aliter teneat consuetudo Regionis; fallit tamen præscripta regula, quando manus mortua acquisivit rem emphiteoticariam pro constructione, fundatione, reparatione, seu ampliatione Ecclesiæ, Monasterii, seu Scolæ, quia tunc non cogitur ad vendendum; si autem cogi potest ad amortificandum, non ad nos Notarios, sed ad Jurisperitos, pertinet.

Pro facienda amortificatione fit æstimatio rei emphiteoticariæ, & computatur laudemium juxta morem Regionis, & habita consideratione, an parvi, vel magni valoris si res, partitur laudemium in triginta, vel quadraginta partes, & augetur annuus census in illa trigesima, vel

quadragesima parte, ita ut si res est parvi valoris, partitur in triginta, & si magni, in quadraginta partes dividitur laudemini, eò quia res parvi valoris, facillioris sunt transportationis, quàm illæ, quæ magnæ sũt æstimationis.

*Nota*, quòd per Constitutionem Domini Regis Caroli in Curia Barchinonæ de anno 1520. prohibitum est Notariis aliquod extrahere instrumentum super re feudali, vel emphiteotica confectum, nisi fuerit per dominum directum dominii ratione firmatum, sub pœna amissionis officii.

*Item nota*, quòd per aliam Constitutionem dicti Domini Regis Caroli in Curia Montisoni de anno 1537. præscribitur, quòd Notarius conficiens instrumentum rei feudalis, seu emphiteoticaræ, debet exigere juramentum ab utraque parte, hoc est, ab alienatore, & ab acquirente, quo asserant nihil fecisse, seu contraxisse in fraudem domini directi, cujus juramenti præstatione tenetur Notarius mentionem facere in fine instrumenti, sub pœna arbitrio Judicis reservata.

## CAPUT V.

## DE DOTIBUS.

Continet quatuor paragraphos.

- |                              |  |                  |
|------------------------------|--|------------------|
| 1 De Dotibus.                |  | 3 De Sponsaliis. |
| 2 De donat. propter nuptias. |  | 4 De Matrimonio. |

## DE DOTIBUS.

**N**Omen dotis adeò generale est, ut plurimis modis accipiatur, sed dos, quæ ad carnale matrimonium refertur, ita diffinitur: Dos est: *Quæ datur ab uxore, vel ejus patre, marito, vel ejus patri propter onera matrimonii sustinenda, ut perpetuò sit penes eum.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *datur*, & non *conceditur*, quia maritus efficitur verus, & directus dominus rei sibi datæ in dotem, constante matrimonio.

*Ab uxore*, nam uxor debet constituere dotem marito.

*Vel ejus patre*, quia mulier, & qualibet pro ea potest constituere dotem.

*Marito*, quia illi debet dos dari, qui onera matrimonii regulariter sustinere tenetur.

*Vel ejus patri*, quia isti dos dari potest, quando in se pro marito onera matrimonii sustinere suscipit, ibi enim dos esse debet, ubi sunt onera matrimonii.

*Propter onera matrimonii*, nam dos servire debet oneribus matrimonii, ut sunt sustentationes uxoris, & filiorum; sed tamen maritus non ob solam dotis causam, uxorem, & filios alere tenetur, sed naturali ratione, ac stimulo, etiamsi nullam dotem receperit, sibi enim imputatur mulierem indotatam recepisse.

*Ut perpetuò sit penes eum*, id est, tamdiù quamdiù duraverit matrimonium, quod, cum nisi per mortem dissolvatur,

tur, perpetuum intelligitur, donec alter vixerit ex conjugibus.

Dos dicitur quasi *doni-datio*, unde tam latinè, quàm græcè dicitur donatio, & est duplex, scilicet *profertitia*, quæ obvenit à patre, vel ab avo paterno, & *adventitia*, quæ aliunde obvenit, ut à matre, & ab aliis etiam extraneis personis.

Possunt constituere dotem omnes illi, qui aliàs contrahere valent, & de rebus suis alienare, & de necessitate debet constitui illi, qui tenetur onera matrimonii supportare, & tenentur etiam de necessitate constituere dotem pater pro filia, avus pro nepte, proavus pro bisnepte, paternis tamen, & non maternis, quia *onus dotandi pertinet ad patrem*.

Omnes res, tam mobiles, quàm immobiles, corporales, & incorporales, æstimatæ, vel inæstimatæ, ac etiam res litigiosæ, quæ aliàs non possunt alienari, in dotem possunt constitui.

Contrahitur dos tribus modis.

- 1 *Purè*, ut quando nulla adjecta die, seu conditione, promittitur.
- 2 *In diem*, ut quando promittitur hinc ad tale tēpus.
- 3 *Sub conditione*, ut quando aliqua adjecta conditione, seu pacto promittitur.

Constituitur verò quatuor modis.

- 1 *Pactione*, id est, simplici pollicitatione, seu pacto nudo, quod sufficit in dote, & est speciale, quod pactum nudum

nudum producit actionem favore matrimoni.

2 *Stipulatione*, quando per pactum, & nomine dotis promittitur.

3 *Traditione*, quando realiter, & effectivè traditur de præfenti aliqua res in dotem.

4 *Ultima voluntate*, ut si testator dixerit, filiam meam in centū libras pro dote sua mihi hæredem instituo.

Quando res immobilis constituitur in dotem inæstimata, appellatur fundus dotalis, qui est: *Res immobilis data uxore marito in dotem inæstimata, ob matrimoniū à jure contractum*; & ut dicatur fundus dotalis, requiruntur quatuor.

1 Quòd matrimonium sit à jure contractum.

2 Quòd sit traditus in dotem marito.

3 Quòd sit immobilis, non autem mobilis.

4 Quòd sit inæstimatus, non autem æstimatus, regulariter; nam si æstimatio solum fit ut appareat de valore fundi tempore restitutionis, vel ut sit in electione mulieris rem, vel æstimationem petere, nihilominus erit fundus dotalis.

Si verò res cõstituitur in dotē æstimata, nunc est fūdus emptitiuſ, & non dotalis, & soluto matrimonio, æstimatione, etiam invita uxore, venit restituenda, & non res, & si perit, periculo perit mariti, tamquam illius taciti emptoris, qui ipsam rem æstimatam, sine uxoris consensu, vendere potest; secus verò si fundus est dotalis, quia tunc periculum, & deterioratio (cum non sit ex dolo, vel lata culpa mariti) pertinet ad uxorem, & istius con-

sensus cum juramento requiritur in illius venditione, juxta formam supra traditam in lib. 1. cap. 6. §. 1.

Augmentum dotis idem est quòd dos, & eodam modo diffinitur, constituiturque, & contrahitur super ipsis rebus, & inter easdem personas, quòd ipsa dos, & dicitur augmentum ab augendo, quia debet fieri, dote jam constituta, & non antea; sed notare oportet, quod in aumento dotis debet exprimi unde processit, quia cum hac cautela solet fieri fraus creditoribus mariti.

*Nota*, quòd per Constitutionem Domini Regis Petri Tertii in Curia Perpiniæ, quæ incipit: *Ad excludendum freudes &c.* prohibetur Notariis recipere instrumentum in præjudicium donationis, seu hæreditamenti tempore nuptiarum facti, sub pœna privationis officii, & talia instrumenta sunt ipso jure nulla, & irrita.

## §. II.

### DE DONATIONE PROPTER NUPTIAS.

**D**onatio propter nuptias, vulgò appellatur *Creix*, & ita diffinitur: *Donatio, quam facit vir uxori, si virgo sit, in præmium pudicitie, & virginitatis, in contractu matrimonii, correlativa ad dotem.*

### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *quam facit vir uxori*, ad differentiam augmenti dotis, quod fit ex parte uxoris.

*Si virgo sit*, soli enim virgini, vel pro tali habitæ, fit donatio propter nuptias, non autem viduæ, nec ei solet fieri in hoc Principatu; sed si fortè fiat, beneficio Consti-



Constitutionis *Hac nostra* frui censetur.

*In premium pudicitiae, & virginitatis*, ad ostendendum, quòd viduis, quæ jam corruptæ in secundum matrimonio viris traduntur, non datur propter nuptias, & etiam, quòd statim amissa virginitate, acquiritur uxori illa donatio, si-  
ve *Creix*, quamvis solutio differatur post mortem viri, ta-  
liter quòd sufficit ad lucrandum per mulierem dictam do-  
nationem, introductam esse in domum viri, vel quòd ibi  
vir cum ea cubuerit, licet ab eo carnaliter cognita non  
fuerit.

*In contractu matrimonii*, quia semper fieri debet sicut  
dos, contemplatione matrimonii.

*Correlativa ad dotem*, quia de Jure antiquo fieri solebat  
donatio propter nuptias æqualis doti, nunc verò fit sicut  
conveniunt partes.

Omnes illi, qui possunt aliàs contrahere, possunt  
etiam propter nuptias donare, & omnes res habiles ad  
contrahendum possunt ex dicta causa donari.

Donari autem propter nuptias solummodò potest mu-  
lieri virgini, seu pro tali habitæ, quæ tamen possit se obli-  
gare ad ipsam donationem suo casu restituendam.

De substantia hujus donationis solum est matrimo-  
nium, sed de natura sunt quinque.

1 Quòd soluto matrimonio spiret, & veniat resti-  
tuenda, sicut dos.

2 Quòd maritus habeat omnes fructus, & utile do-  
minium hujus donationis.

3 Quòd

3 Quòd directum dominium acquiratur uxori.

4 Quòd res, propter nuptias donata, alienari non potest, etiam muliere consentiente, præmaximè in hoc Principatu Cathalonix, ubi donatio ipsa filiis nascituris stipulatur.

5 Quòd mulier potest illam defendere à cæteris creditoribus, mariti tempore posterioribus.

Vidua post mortem viri potest recuperare donationem propter nuptias, præstita tamen cautione de restituendo post mortem suam hæredibus mariti; sed hoc est verum, si totam donationem propter nuptias vult recuperare, quia si solùm vult dimidiam partem habere, non tenetur cavere, quia liberè pertinet ad eam, & omnia prædicta procedunt, quando non supersunt filii ex illo matrimonio, quia si extant filii, cum donatio propter nuptias in favorem filiorum stipuletur, hinc est quòd ad ipsos pertinet illius proprietas, & si mater, vel vidua transit ad secundas nuptias, tenetur proprietatem rei propter nuptias donatæ filiis primi matrimonii reservare, & pro his saltim juratorie cavere.

Sponialitia largitas est: *Illà donatio, que fit inter sponsos contemplatione futuri matrimonii*, & proprie est simplex donatio inter vivos, ita ut soluto matrimonio, ad donatorem non revertitur; verum tamen est, quòd tacitam habet conditionem nuptiarum, quia semper ob causam futuri matrimonii facta præsumitur, ita ut si nuptiæ non sequantur, nulla est.

Potest

Potest fieri ab sponto sponsæ, & è converso, & cõmuniter consistit in rebus mobilibus, ut annulis, jocalibus, & similibus: & si ille, qui dedit sponsalitiã largitatẽ, non perficit matrimonium, illam repertere non potest.

## §. III.

## DE SPONSALIS.

**S**PONSALIA sunt: *Futurarum nuptiarum reprõmissio.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *futurarum nuptiarum*, quia sponsalia fiunt per verba de futuro, nam si fierent per verba de præsenti, esset matrimonium.

*Repromissio*, quia non solum requiritur promissio, sed iterata promissio, id est, mutua sponsio, tam ex parte viri, quàm ex parte mulieris, ita ut ille dicat mulieri: Accipiam te in uxorem meam; & illa respondeat viro: Accipiam te in maritum meum.

Sponsalia dicuntur, & etymologiam accipiunt à verbo *Spondeo*, quia vir, & mulier ad invicem promittunt futurum matrimoniũ, & pro his appellantur sponsus, & spõsa.

Contrahuntur sponsalia quinque modis.

1 *Promissione*, quia sola promissio sufficit in sponsaliis, si tamen inter sponsos mutuus intervenit consensus.

2 *Juramento*, ut: Juro accipere te in uxorem, & iste modus est fortior simplici promissione, taliter, quòd in casu retinentiæ ad contrahendum matrimonium, Ecclesiastica censura compelli potest.

3 *Fidei-datione*, quando datur aliqua fides, & cum ea se promittunt.

4 *Arraharum datione*, & est arrha in hoc casu, illud quod datur inter futuros sponfos in pignus, causa adimplendi matrimonium.

5 *Annuli datione*, licet verum est, quod sponsalia, ac matrimonium non requirunt annuli dationem, sed datur ex consuetudine, ad denotandum, quod illa, quæ affert anulum, est nupta, seu sponsa, & juxta ritum Sanctæ Ecclesiæ ab sponso datur annulus sponsæ, in fidelitatis connexum.

Sponsalia contrahuntur inter impuberes majores tamen infantia, inter eorum parentes, licet verum est, quod filios non obligant, quia *ex alienis contractibus nemo obligatur*; inter Tutores pro pupillis, Curatores pro adultis, inter extraneos, qui sunt omnes, præter patrem, avum, vel proavum paternum, inter puberes, & majores, non autem contrahuntur inter infantes, & furiosos.

Dissolvuntur sponsalia sex modis.

1 Si superveniet majus vinculum, ut si aliquis sponforum ingrediatur Religionem, vel contraxerit matrimonium, vel si superveniat affinitas altero fornicante.

2 Morte alterius sponforum; mors enim omnia solvit.

3 Si alter sponforum se transtulerit ad aliam Provinciam, & diu, vel longo tempore expectatus, non redierit, puta biennio.

4 Si alter sponforum ad infirmitatem devenerit, ut lepram,

lepram, paralyſim, oculorum, aut narium amiſſionem, morbum gallicum, malè olentiam oris, & etiam ſi ſponſa pulchra ad deformitatem deveniat, quia promiſſio in ſponſaliis intelligitur facta nulla notabili mutatione de novo eveniente.

5 Si unus eorum deveniat ad cauſam hæreſis.

6 Per communem diſſenſum, quia *unumquodque diſſolvitur eo vinculo, quo colligatum eſt.*

Sciendum tamen eſt, quòd ſi ambo ſunt impuberes, poſſunt cum deveniant ad pubertatem, diſſentire, & etiam unus, altero nolente; ſi ambo ſunt puberes, ſolum de communi conſenſu poſſunt diſſentire; ſi verò unus eſt pubes, vel major, & alius impubes, iſte poteſt diſſentire, alio invito, non verò ille.

In ſponſaliis non poteſt apponi pœna inter ſponſos, & eorum parentes, quia ſpoſalia, ſicut & matrimonium, debent eſſe libera; ſi autem apponitur inter extraneas perſonas, valet, quia tunc non minuitur libertas contrahendi.

#### §. IV.

### DE MATRIMONIO.

**M**atrimonium eſt: *Viri, & mulieris conjunctio Divini, & humani juris communicatio, individuanam vite conſuetudinem in ſe continens.*

#### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *viri, & mulieris*, quia in contrahendo matrimonio unus ſolus vir, & una ſola mulier eſſe debent.

*Conjunctio*, animorum, & non corporum, quia con-

senſus, & non concubitus, facit matrimonium.

*Divini, & humani juris communicatio*, quia ambo eſſe debent unius Religionis, id eſt, Chriſtiani.

*Individuam &c.* ad denotandum indiſſolubilitatem matrimonii, & ejus finem, nam contrahentes debent eſſe in propoſito de quamdiu vixerin ſimul manendo.

Matrimonium dicitur quaſi *matris-munium*, id eſt officium matris, & non dicitur patrimonium, quia mater, & non pater officia ſupportat; nam ante partum eſt oneroſa, in partu doloroſa, & poſt partum laborioſa.

Idem eſt matrimonium quòd nuptiæ, connubium, conſortium, conjugium, & inter ſervos appellatur contubernium.

Deus noſter adinvenit matrimonium in Paradifo ante peccatum, per illa verba: *Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adherabit uxori ſua.* Cauſa inventionis ante peccatum fuit ſuſceptio filiorum, & poſt peccatum evitatio fornicationis.

Matrimonium à Jure Gentium eſt receptum, à Jure naturali inventum, & à Jure Civili confirmatum, & contrahitur per verba de præſenti, ac etiam ſolo conſenſu.

Ut valeat matrimoniũ tria ſũt de Jure Civili neceſſaria.

- 1 Quòd ſint puberes, mares, foeminae verò viri potètes.
- 2 Quòd ſint Cives Romani, id eſt, liberi, non autem ſervi, licet de Jure Canonico poſſint ſervi contrahere matrimonium, etiam invitis dominis.

## 3 Quòd fiat secundum Legum præcepta.

Quatuordecim enumerantur causas, que matrimonium contrahendum impediunt, & contractum retractant; ex quibus duodecim sunt de jure antiquo, & duo de jure novo Sacri Concilii Tridentini, quarum explicationem omitto, cū parū attineat ad Notarios, qui numquā instrumenta contractus matrimonii conficiunt; nam hodie, & post S. C. T. à Parochis stipulantur; & pro aliquali Tyrunculorum notitia, sequentes sex versus scribuntur, quibus ipsa omnia continentur impedimenta.

1. Error, 2. Conditio, 3. Votum, 4. Cognatio, 5. Crimen,  
6. Cultus disparitas, 7. Vis, 8. Ordo, 9. Ligamen, 10. Honestas  
11. Si sis affinis, 12. Si fortè coire nequibus.

Hæc sunt de Jure antiquo.

13. Si Parochi, & duplicis desit præsentia Testis,  
14. Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta.

Hæc sunt de Jure novo Tridentino.

Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

## CAPUT VI.

## DE DEBITIS, ET CREDITIS.

Continet quatuor paragraphos.

1 De Mutuo.

2 De Commodato.

3 De Deposito.

4 De Delegatione.

## D E M U T U O .

**M**utuum est: *Rei nostræ in pondere, numero, vel mensura consistentis alteri datio, ut idem genus nobis reddat.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *rei nostræ*, & non alienæ, quia mutuans debet esse dominus, seu quasi rei mutuandæ.

*In pondere &c.* qui fieri debet de rebus mobilibus consistentibus in pondere, ut aurum; numero, ut pecunia; & mensura, ut frumentum, non autem de immobilibus.

*Datio*, quia dominium rei mutuatæ transfertur in accipientem, ut ea uti valeat.

*Ut idem genus &c.* quia non restitui debet eadem res mutuata in specie, sed similis in genere, ad differentiam commodati, in quo venit restituenda eadem res in ipsa specie qua tradita fuit, unde datur hic vulgaris versus.

*Semile vult Mutuum, Commodatum postulat idem.*

Etymologia mutui est, quod dicitur mutuum, quasi *meum-tuum*, quod enim erat meum, tuum facio mutuando, & cōponitur ab uno corrupto, & alio integro nomine.

De natura contractus mutui est, quòd alia res ejusdem generis, qualitatis, & quantitatis reddatur; & mutuare possunt omnes illi, qui aliàs possunt contrahere, & potest mutuari omnibus illis, qui aliter contrahere, & se obligare valent, dempto tamen filio-familias, qui licet ex aliis contractibus obligatur, non potest in mutuo, & in voto reali, ut dictum est, obligari.



Triplex est mutuum.

1 *Naturale tantum*, in quo intervenit numeratio, vel mensuratio actualis sine aliqua stipulatione, seu litterarum obligatione.

2 *Naturale & Civile simul*, in quo non solum vera, realis, & actualis numeratio, ponderatio, vel mensuratio intervenit, sed etiam stipulatio.

3 *Civile tantum*, in quo sub spe futuræ numerationis, ponderationis, vel mensurationis intervenit stipulatio.

In mutuo considerantur tria.

1 *Natura*, ut si quantitas sit, numeretur; si aurum, ponderetur; si frumentum, mensuretur.

2 *Aptitudo*, id est, quòd res sint aptæ ad mutuandum, ut sunt illæ quæ usu pereunt.

3 *Consuetudo*, ut fiat de rebus, quæ mutuari consueverunt, nam si quis mutuaret pecora, non esset mutuum, quia deest consuetudo.

In restitutione mutui considerantur tria.

1 *Quantitas*, ut restituatur eadem quantitas numero recepta.

2 *Qualitas*, ut restituatur non eadem res, sed similis, & æquè bona ei, quæ accepta fuit.

3 *Genus*, ut in eodem genere restituatur, nam si mutuo recepi vinum album, non nigrum, sed album restituere teneor.

Instrumentum mutui, sicuti commandæ, & depositi confici debet à notario absque juramento, sub pœna privationis

vationis officii, per dispositionem *Pragmaticæ Domini Regis Jacobi Secundi*, & aliorum Jurium nostræ Patriæ.

Contractus mutui ex sua natura est gratuitus, gratiaque recipientis celebratur, quare si aliquid datur pro mutuo, transit in usuram, quæ est *illud lucrum, quod propter mutuum ex pacto ultra sortem percipitur*; & dicitur ex pacto, nam si aliquid nobis (absque ullo pacto) à gratis hominibus, qui pecuniam nostram mutuam receperunt, largiatur, non est usura, sed *antipelargesis*, seu *antidoron*, ex gratitudine profectum, juriq; naturali valde consonum, ut beneficienti beneficiamus, & hoc significant illa græca nomina *antipelargesis*, id est, *beneficiorum retributio*, & *antidoron*, id est, *doni-datio*.

Opus est, ut Notarius mente teneat, quòd fœneratores (hoc est usurarii) communiter solent pacta usuraria in mutuis paliare, sicque debet Notarius sua *prudencia* (quæ est *recta ratio agibilium*) colligere ex circumstantiis personarum, rerum, & contractuum, utrum usuraria subsit conventio, & si ex præsumptionibus, argumentis, indiciis, vel conjecturis (quæ dictæ sunt à *conjectu*, id est, *directio quædam rationis ad veritatem*) contractum usurarium esse suspicaverit, ipsum à se diligenter avertat, quia Notarius instrumenta usuraria conficiens, perjurus est, & ab officio cum nota infamiæ removendus, ultra restitutionem usuræ, & quod plus est, ejus animam æternæ morti condemnat: miserrimum enim foret pro modico interesse, inæstimabilem æternitatis amittere beatitudinem.

## §. II.

## DE COMMODATO.

**C**ommodatum est: *Alicujus rei ad aliquem specialem usum gratuita facta concessio, ut eadem species, & non alia, ejusdem generis reddatur.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *alicujus rei*, id est, mobilis, vel immobilis, quæ usu non perit, nam in rebus, quæ usu pereunt, non potest esse commodatum, ut in pecunia.

*Ad aliquem specialem usum*, quia debet specificari usus ad quem res commodatur, & etiam ad differentiam pignoris, & depositi, quibus creditor, & depositarius uti non possunt.

*Gratuita*, quia commodatum debet fieri gratis, nam si daretur pecunia pro usu rei, esset locatio, & si alia res interveniret, esset contractus innominatus.

*Concessio*, & non translatio, quia commodans retinet dominium, & possessionem rei commodatæ.

*Ut eadem species*, ad differentiam mutui, in quo non redditur eadem species, sed idem genus.

Etymologia commodati est, quod componitur à nomine *commodum*, & à verbo, *do, dedi, datum*, velut si dicatur: in *utentis-commodum-datum*.

Ab explicata diffinitione colliguntur quatuor.

- 1 Quòd in commodato debet specificari usus.
- 2 Quòd debet fieri gratis.
- 3 Quòd non potest revocari, nisi finito usu.

4 Quòd

4 Quòd commodatarius solum habet nudum usum.

Qui possunt contrahere, possunt commodare, & potest commodari illis, qui ad commodum restituendum se possunt obligare, & cum commodatum non sit alienatio, poterit commodare minor cum sola tutoris auctoritate.

Commodatum est contractus realis, ideòque contrahitur re, ac etiam consensu à necessario, quia nullus est contractus, qui non habet consensum, nam hic est *radix, & substantia obligationis.*

Commodatarius tenetur rem commodatam restituere non deterioratam, & cum in sui gratiam factum presumatur commodatum, tenetur de delo, lata, levi, & levissima culpa; quare sciendum est, quòd.

Dolus est: *Studiosa maquinatio, seu calliditas ad alterum decipiendum.*

Culpa lata est: *Facere quod nemo faceret, vel non facere quod quislibet diligens faceret.*

Culpa levis est: *Qua provenit ex neque diligentia, vel neque desidia.*

Culpa levissima est: *Non facere quod fecisset sapientissimus.*

De casibus autem fortuitis, & divino judicio contingentibus, non tenetur commodatarius, quia casus fortuitus est *inopinatus rei eventus, quem nulla hominum providentia cavere, aut prevedere potest, ut inundatio, naufragium, ruina, incendium, tempestas, incursum latronum, & alii similes.*

Tene-

Tenebitur tamen commodatarius de casibus fortuitis tribus modis.

1 Si sit in culpa, aut si commodavi equum ut vadas Tarraconam, tu verò Barchinonem ivisti, & cum equus perierit, tua culpa periit, quia culpa tua præcessit casum, & culpa erat ad eum ordinata, ita ut si non præcessisset, casus non evenisset.

2 Si sit in mora, ut si interpellatus fuisti rem commodatam restituere, & non restituisti, tunc propter moram teneris de casu fortuito, si res perit.

3 Si sit in pacto, ut si conventum est, quod tenearis de casu fortuito; sed est advertendum, quod commodatarius per pactum non tenebitur de casu fortuito, nisi expressè sit specificatum in instrumento, etiam si clausula adsit generalis, comprehendens omnes casus fortuitos, & ideò debent Notarii omnes casus fortuitos, quos voluerint contrahentes, specificare, quia pactum generale, in quo quis suscipit omnes casus fortuitos, non valet, ea ratione, ut nequis generaliter, & sub involucro verborum videatur suscipere quod suscepturus non est.

### §. III.

## DE DEPOSITO.

**D**epositum est: *Quod alicui custodiae causa traditum est.*

### EXPOSITIO DIFFINITIONIS

Dicitur *alicui*, id est, personæ habili ad se obligandum ad restitutionem depositi.

*Custodia causa*, quia per depositum non transfertur dominum, nec aliquod jus in depositarium, imò si depositarius utitur re deposita, furtum committit.

*Traditum est*, scilicet nudè, eo quia nullum per hanc traditionem transfertur dominium in depositarium.

Etymologia depositi sic se habet, nam dicitur depositum quasi *seorsim positum*, vel *à-se-positum*, quia penes depositarium reponitur, & à domino separatur.

Possunt deponere omnes habentes sensum, & intellectum, sive sint majores, sive minores, quia deponere non est alienare, imò potius rem suam custodiendam mandare, & fieri potest depositum penes illos, qui aliàs possunt se obligare ad depositum restituendum.

Contrahitur depositum interventu rei, mobilis autem, & non immobilis, nam sine re subsistere non potest, quia est contractus realis.

Dissolvitur depositum quatuor modis.

1 Per restitutionem, nam *dissolut causa, omnes dissolvuntur effectus*.

2 Interitu rei, absque tamen culpa depositarii.

3 Acquisitione dominii, ut si depositarius depositum emerit à deponente.

4 Per revocationem, quam deponens facere potest quodcumque.

Depositarius tenetur restituere depositum illi, per quem fuit factum, vel suo hæredi, & rem depositam reddere non deterioratam, & tenetur de dolo, & lata culpa,

pa, non autem de levi, & levissima, nec de casibus fortuitis, in idemque tenetur restituere depositum in eadem specie, qua sibi traditum fuit.

Non me latet, quod hic explicandum erat depositum illud, quod fit in aliqua tabula, seu archivo publico causa impediendi usuras, esmerciandi, aut alias, quod aliud est à præexplicato, & irregulare appellatur; sed quia his temporibus extra Civitatem Barchinonæ raro sunt, & ibi practicanes Notariam ipsamet practica de hujus depositi particularitatibus, de partitis, & solta erudientur, ipsius explicationem ob brevitatem omitto

## §. IV.

## DE DELEGATIONE.

**D**Elegatio est: *Alium vice sua debitorem dare creditori.*

Duplex est delegatio.

1 *Voluntaria*, quæ fit per stipulationem, quando scilicet debitor vult alium debitorem suum creditori suo delegare, consentiente delegato, & per stipulationem promittente creditori creditoris sui satisfacere, & in ea requiritur consensus delegantis, delegati, & delegatarii.

2 *Necessaria*, quando creditor cedit alteri jura, quæ habet contra debitorem, & fit per consignationem, seu insolumentationem, & requiritur in ea consensus delegantis, & delegatarii, non autem delegati.

Effectus delegationis est, quoniam unam inducit obligationem, & duas parit liberationes, scilicet, quod

debitor delegans liberatur à creditore suo , & debitor delegatu liberatur à delegante , & obligatur ei , cui delegatio facta fuit , & est unica obligatio , quam parit delegatio.

Et hìc notandum est , quòd *debitor* est ille , qui ad *aliquid dandum , vel faciendum obligatione pura , vel indemni , verè , & firmiter se adstringit.*

*Creditor* est ille , qui credit *aliquid , vel simile se recepturum.*

## C A P U T VII.

### D E C E S S I O N I B U S .

Continet sex paragraphos.

- |                            |                             |
|----------------------------|-----------------------------|
| 1 Do Cessione,             | 4 De Acceptilatione.        |
| 2 De Transactione.         | 5 De Aquiliana stipulatione |
| 3 De Pacto de non petendo. | 6 De Solutione.             |

#### §. I.

### D E C E S S I O N E .

**C**essio est : *Juris , & actionis translatio.*

#### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *Juris , & actionis* , quia res incorporales , ut sunt Jura , & actiones , solùm per cessionem transferuntur.

*Translatio* , & non *traditio* , nam tradere propriè est in rebus corporeis , & circa incorporalia idem operatur *cessio* , quàm *traditio* in corporeis.

Duplex est *cessio*.



1 *Simplex*, quando quis alteri cedit jura sua, ad exigendum ab aliquo certam quantitatem, ut de ea possit sibi in aliquo credito satisfacere, & est simplex mandatum, seu procuratio in causa propria, in qua ad majorem cautelam apponitur clausula cessionis jurium, ut procurator penes se retineat illam quantitatem insolutum alterius quantitatis per constituentem ipsi debitæ.

2 *Perfecta*, seu quasi solutio, quando nomina debitorum delegantur, & dicitur quasi solutio, quia ex quo creditor dictum nomen debitoris recepit, suum debitorem liberare videtur, & debitor non tenetur præstare debitores locupletes, sed sat est eos præstare veros, & efficaciter obligatos.

Possunt facere cessionem omnes illi, qui contrahendo se possunt obligare, cum omnia censeantur juris permissione esse concessa, quæ non reperiuntur prohibita; & itaque cedi potest omnibus personis, exceptis quæ acquirere non possunt, & exceptis etiam potentioribus, quibus cedi non potest, ut ne fiat durior adversarii conditio.

Filiusfamilias cedere potest de consensu patris, per dispositionem *Constit. 1. tit. De minoribus de vint y such anys.*

Cedi possunt omnes actiones tam reales, quam personales, dempta actione criminis, & injuria.

Cedens tenetur tradere cessionario instrumentum debiti, cum omnibus inclusionibus, ad exactorem rei cessæ facientibus.

Quando creditor cedit jura sua alteri, qui pro alio  
sibi

sibi debitum solvit, non est omittenda in cessionis instrumento illa clausula: *Verum quia ante hujusmodi solutionem fui actum de cessione &c.* ratio est, quia cedens post solutionem, amittit actionem, & nemo potest dare, seu cedere quod jam non habet; sicque cum cessio pactata sit ante solutionem, optimè valebit, quia *contractus legem accipiunt ex conventionem.*

§. II.

## DE TRANSACTIONE.

**T**Ransactio est: *De re dubia, lite incerta nondum finita, aliquo dato, promisso, vel retento, non gratuita facta pactio.*

### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *de re dubia*, quia super certa transigi non potest.

*Lite incerta*, quia ubi nulla est lis, seu timor futuræ litis, nulla est transactio, sufficit tamen ad validitatem transactionis rem esse dubiam, ita ut lis moveri possit, & quod fiat propter litem, licet non fiat in lite.

*Nondum finita*, quia si lis esset finita, taliter quod sententia revocari non possit, transigi non potest, nam sententia facit rem certam, & post rem judicatam non potest dici res dubia, quia *res judicata pro veritate habetur*, & *finem liti imponit.*

*Aliquo dato &c.* nam ut valeat transactio, requiritur ut hinc & inde aliquid detur, vel remittatur.

*Non gratuita*, quia transactio non est gratuitus contractus,

tractus, nec gratis fieri debet, sed fieri debet ut predictur, aliquo dato promisso &c.

*Facta pactio*, quia non potest induci transactio sine pacto expresso, & simultaneo consensu ambarum partium.

Transactio dicitur quasi *actionis-transitio*, nam qui transigit, ab *actione-transit*, & propriè transactio nihil aliud est, quàm transitus, seu recessus ab actione intentata, vel intentanda.

Omnes illi possunt transigere, qui possunt alios contractus celebrare, & de rebus suis alienare.

Super causa criminali transigi non potest, nisi tantum in illa, in qua imponi potest pœna sanguinis, quia unicuique licitum est sanguinem suum qualitercumque redimere.

Super causa futurorum alimentorum transigi non potest absque Judicis decreto, bene verò super præsentibus, & præteritis alimentis, quia ab illis pender vita hominis, & ab istis non.

De litibus, quæ ex testamento oriuntur, transigi potest, inspectis tamen, cognitisque verbis testamenti, & Notarius debet facere mentionem in transactionis instrumento de inspectione, & lectura, sed non est necesse transigentem oculis corporeis inspicere testamentum, sed sufficit scire, quòd in eo scriptum est per oculos intellectus; unde cæcus transigere potest de litibus, quæ proveniunt ex testamento, nam licet non possit verba testamenti oculis corporeis inspicere, potest tamen ver-

borum sensum intelligere ; curet autem Notarius ita partibus legere , explanare , & vulgarisare verba testamenti , ut nulla nova quæstio ex transactione suscitetur.

Virtus , & effectus transactionis est , quòd per eam tollitur naturalis obligatio , & remanet civilis , & cum transactio sit pactum nudum , non parit actionem , sed exceptionem ; nam si quis petit illud , quod est transactum , reus se defendit per exceptionem transactionis ; si verò fuit actum in transactione , ut quis det aliquid , actor debet agere ex pristina actione , quam sibi ante transactionem competeat , v. g. si fuit transactum super mutuo , aget actione ex mutuo , licet reus excipiat per transactionem , quia *non debet ei fides servari , qui vult contra pacta versari.*

Illa verba , quæ communiter apponuntur in exordio transactionis , scilicet : *Per medi , y ab interventio de amigables Personas &c.* non sunt inutilia , & non sunt omitenda , licet aliqui Notarii eas omittant ; nam talis interventus facit cesare præsumptionem metus , vel doli , sicut faceret decretum Judicis.

### §. III.

#### DE PACTO DE NON PETENDO

**P**ACTUM de non petendo est : *Alicujus debiti absolutio , & liberatio.*

Fit hoc modo : *Facio tibi pactum de non petendo illud debitum quod mihi teneris & statim debitor absolutus est , & liberatus à naturali obligatione , sed debet fieri super*

super re certa, non autem incerta.

Duplex est pactum de non petendo.

1. *Gratuitum*, quando fit nullo dato, retento, vel promisso, sed generaliter, & absolute de toto debito, & in hoc differt à transactione, quæ non fit gratis; in aliis verò sunt similia, in utraque enim tollitur ipso jure naturalis obligatio, civilis verò non ipso jure, sed per remedium exceptionis.

2. *Non gratuitum*, quando fit aliquo dato, retento, vel promisso, ut si data medietate debiti, fiat pactum de non petendo debitum, adjuncta debitoris promissione de aliquid dando, vel faciendo.

Fit quoque pactum de non petendo duobus modis.

1. *Ad in perpetuum*, quando purè, & nulla temporis facta mentione paciscitur.

2. *Ad certum tempus*, ut illam quantitatem, quam mihi hoc anno dare debes, facio tibi pactum de non petendo hinc ad duos annos.

Effectus pacti de non petendo est, quod naturalem obligationem tollit ipso jure, quia vinculum æquitatis, quo sustinebatur, conventionis æquitate dissolvitur, civilem verò obligationem elidit, licet non ipso jure, sed extingitur per remediũ exceptionis pacti de non petendo.

#### §. IV.

#### DE ECCEPTILATIONE.

**A**cceptilatio est: *Imaginaria debiti solutio, per quam tolluntur omnes obligationes verbales.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *imaginaria solutio*, quia reverà nulla intervenit solutio, nam si intervenerit, nulla esset acceptilatio.

*Per quam tolluntur &c.* quia cum acceptilatio verbis concipiatur, nullas alias obligationes tollere potest, quàm verbales.

Forma acceptilationis est hæc: *Quod tibi promissi habes ne acceptum?* Et creditor respondet: *Habeo.*

Etymologia acceptilationis ita se habet, quasi *acceptum ferre*, ut si creditor dicat: *Habeo pro accepto*, & componitur à verbo *Accipio*, *accepi*, *acceptum*, & à *Fero*, *ruli*, *latum*, à quo supino oritur nomen *latio*.

Acceptilatio fieri nequit in diem, neque sub conditione, quia est actus legitimus, qui neque diem, neque conditionem admittit, sed absolutè, & simpliciter fieri debet.

Affimilatur acceptilatio stipulationi, in eo quòd ambo sunt de Jure Civili, ac etiam in eo, quòd ambo verbis concipiuntur; sed differunt, quia stipulatio tendit ad obligandum, acceptilatio verò ad liberandum, ac etiam, quia in stipulatione creditor interrogat, & debitor respondet; sed in acceptilatione fit è contra; sed in utraque requiritur interrogatio, & responsio, licèt è conversò.

## §. V.

## DE AQUILIANA STIPULATIONE.

**A**quiliana stipulatio est: *Promissio, que novat omnem contractum.*

Fuit inventa à Gallo aquilio Jurisconsulto Romano, à quo

quo nomen accepit, ideoque est contractus à Jure Civili.

Duplex est Aquiliana stipulatio.

1 *Specialis*, quæ aliquas renovat speciales obligationes, & non omnes, illas in unum debitum reducendo.

2 *Generalis*, quæ omnia debita ad unum novum debitum reducit, & omnes antiquas obligationes tollit & unam novam facit verbalem.

Effectus Aquilianæ stipulationis est, quòd omnes anteriores civiles, & naturales obligationes tollit, eas ad unam novam reducendo.

Forma Aquilianæ stipulationis est hæc: *Illas centum libras, quas mihi debes ex tali mutuo, & illas mille libras, quas mihi debes ex pretio mercium, quæ simul efficiunt summam mille, & centum librarum, promittis mihi solvere? Et debitor respondet: Promitto solvere dictas mille, & centum libras hinc ad diem T. solemnè stipulatione interveniente.*

§. VI.

DE SOLUTIONE.

**S**olutio est: *Debiti, vel pro debito satisfactio.*

EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *debiti*, quia illud solvi debet, quod est in obligatione.

*Pro debito*, quia aliud genus pro alio, & aliam speciem pro alia solvi potest, creditore consentiente, aliàs isto invito, non.

*Satisfactio*, quia facta solutione debiti, omnis tollitur obligatio.

Solutio sumitur tribus modis.

1 *Propriè*, seu strictè, quando solvitur illud idem, quod est in obligatione.

2 *Impropriè*, seu largè, quando solvitur aliud, quam illud, quod est in obligatione.

3 *Magis inpropriè*, seu largissimè, quando nihil solvitur, ut in acceptilatione.

Debet fieri solutio in loco destinato, & congruo tempore, id est, die, non nocte, nam creditor potest nocte solutionem recusare, dies enim termini solutioni non censetur præteritus, si die sequenti valde manè solutio fiat.

De necessitate solvere tenetur debitor obligatus, & ejus hæredes, dum tamen sit ille debitor persona habilis ad agendum; voluntariè verò solvere potest quislibet homo, dummodo etiam sit habilis ad contrahendum, & potest solvere, debitore volente, & consentiente; creditor autem tenetur invitus, nedum à debitore, sed à quocumque alio oblatam solutionem acceptare.

Effectus solutionis est, quod soluto eo, quod debetur, omnis tollitur obligatio, liberantur fidejussores, debitor non potest amplius in poenam incidere, nec in mora constitui, & si data fuerunt pignora, restituuntur.

Solutio trium annorum continuorum probat solutionem præcedentium, dummodo fiat tribus distinctis apochis, & solutio facta cum protestatione non generat præjudicium.

Confitens recipere decem ad complementum centum, censetur omnes centum recepisse.

Ali-



Aliquando fit solutio per compensationem, quæ est, *debiti, & crediti ab utroque interesse contributio.*

Solutio probatur per apocham, quæ in *lib. 1. cap. 5. §. 3.* explicata est; & quia diffinitio computorum species solutionis dici potest, sciendum est, quòd fieri nequit in acervo, vel sub involucto, sed cum insertione memorialis recepti, & dati, nam *generica rationum redditio dolosa, & fraudulente dicitur.*

## CAPUT VIII.

## DE LOCATIONE, ET CONDUCTIONI

Continet tres Poragraphos.

1 De Locatione, & Con-  
ductione.

2 De Socida.

3 De Electione.

## §. I.

## DE LOCATIONE, ET CONDUCTIONE.

**L**ocatio est: *Personæ, rei ad certi temporis usum facta concessio, certa mercede in pecunia numerata conventa.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *personæ, vel, rei*, eò quia non solum rerum sed etiam personarum usus quandoque locatur.

*Ad certi temporis*, nam debet specificari tempus locationis determinatè instrumento.

*Usus*, ad differentiam venditionis, nam in locatione solum usus rei conductori conceditur.

*Facta concessio*, & non translatio, qui nullum jus in re locata conductori acquiritur.

*Pro mercede*, ad differentiam comodati, quod fit gratis, & quia merces est de substantia locationis,

*Certa*, nam sicut pretium in venditione debet esse certum, & determinatum, ita & merces in locatione.

*In pecunia numerata*, quia ubi merces non est conventa in pecunia numerata, seu numeranda, non est propriè locatio, & si loco pecuniæ datur alia res pro mercede, non est contractus locationis, sed contractus innominatus, sub illis verbis: *Do, ut des.*

*Nota*, quòd quantitas mercedis non potest consistere in uno nummo, quia *unitas non est numerus, sed principium numeri*, & idè non potest dici pecunia numerata.

Conductio est: *Personæ, vel rei ad certi temporis usum acceptatio, certa mercede in pecunia numerata conventa*, & quod de locatione dicitur, de conductione quoque dictum consentur, quia correlativè se habent, sicuti venditio, & emptio.

Etymologia locationis, & conductionis est, quòd locatio dicitur à verbo *Loco, locas, locare*, quod significat ponere in loco, quasi qui locat domum, alium in ea ponit loco sui: Conductio verò dicitur à verbo *Conduco, conducis, conducere*, quod *secum ducere* significat.

De substantia locationis sunt duo.

1. *Res*, quæ debet esse talis, quæ possit in contractum deduci, & dominio nostro subjici.

2. *Merces*, quæ debet esse certa, in pecunia numerata consistens, & non in alia re, ut dictum est.

Contrahitur locatio solo partium consensu , per finalem actum scripturæ.

Fieri potest locatio duobus modis.

1 *Ad modicum tempus* , id est , per decem annos.

2 *Ad longum tempus* , id est , ad plus quàm decē annos.

Locare possunt omnes illi , qui possunt contrahere , & in locationem deduci omnes res mobiles , & immobiles , corporales , & incorporales , ac etiam se moventes.

Dissolvitur locatio tribus modis.

1 *Contrario consensu* utriusque partis , quia *unumquodque dissolvitur eo vinculo , quo colligatum est.*

2 *Interitus rei* , id est , si res perit.

3 *Finito usu rei locatæ.*

Duplex est locatio.

1 *Expressa* , quando verbis expressis partes conveniunt de re aliqua , certa mercede locanda.

2 *Tacita* , quando conductor , finito tempore , retinet rem locatam , sine nova conventionem , utroque tacente , & tacendo tacitè consentiendo.

Causa efficiens locationis est mutuus consensus contrahentium ; causa verò materialis , res , & merces , & exinde competit locatori actio locati contra conductorem , ut rem locatam sibi restituat non deterioratam finito tempore , & mercedem solvat locationis.

Conductor tenetur locatori pro re locata de dolo , lata , & levi culpa , sed non de levissima , nec de casibus fortuitis , nisi sit in culpa , mora , vel pacto , ut dictum est de Commodatario.

## DE SOCIDA.

**S**Ocida est: *Brutorum animalium, cum fructu, & foetu communicandorum, contracta societas.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *brutorum animalium*, quia semper in talibus, tam majoribus, quàm minoribus, contrahitur.

*Cum fructu, & foetu*, regulariter ita contrahitur, ut inter contrahentes dividatur, salvo capitali ipsius domino.

*Alteri communicandorum*, quia dominus animalium societate communicat, seu ad partem dat fructus, & foetus, qui ipsi tamquam tali domino competebant.

*Contracta societas*, quia iste contractus est societatis.

Fructus est generale vocabulum, comprehendens omnem generalem perceptionem, scilicet: Lac, pilum, lanam, & caseum, & foetus est bruti animalis filius, comprehendens agniculos, hœdos, vitulos, & similes.

Contrahitur Socida duplici modo.

1 Ad salvum capitale, quando æstimatis animalibus, fructus, & foetus inter sociantes dividuntur.

2 Ad salvum caput, quando recuperatis animalibus, solum fructus, & foetus communicantur.

Affictus est: *Rei immobilis ad certum tempus alicui facta concessio pro certa reddituum parte*, & dicitur affictus à verbo *Afficto*, *affictas*, *affictare*, quod est locare ad fictum, & iste contractus propriè dicitur concessio ad partes, & est innominatus, comprehensus sub his verbis *Do,*

ut des, eo quia do tibi mansum meum utendum, ut des mihi tertiam, vel aliam omnium illius fructuum partem.

## §. III.

## D E E L E C T I O N E.

**E**lectio est: *Alicujus personæ idonea ad aliquam dignitatem, vel paternam charitatem, servata forma, canonicè facta vocatio.*

Debet fieri electio in loco consueto, & honesto, & per omnes Conventuales Ecclesiæ, qui Pastore carent; & si aliquis abest, debet requiri ut accedat ad electionem, & quislibet ex vocalibus potest dare votum per procuratorem, habentem speciale mandatum, dummodo contineat certam personam, cui debeat dare votum procurator, & iste sit de corpore Capituli.

Eligi debent in Sacris Ordinibus constituti, non infames, non in turpitudine notati, non excommunicati, seu suspensi, & generaliter possunt eligi omnes illi non à lege impedimentum habentes.

Electio fit per inspirationem Spiritus Sancti, in electionibus enim Prælatorum, pro forma, & validitate electionis præmittitur Missa Spiritus Sancti pro ipsius gratia imploranda; item fit per viam compromissi, & per medium scrutini, quod est *Secreta inquisitio, quæ fit particulariter à pluribus, de his, qui sunt sufficientes ad tale onus, vel dignitatem.*

In electione requiruntur tria.

1 *Auctoritas in dignitatibus, & meritis vitæ.*

Y

2 *Zelus*

- 2 *Zelus*, ut fiat sine carnali animo, sed secundum merita personæ eligendæ.
- 3 *Numerus*, ut fiat à majori parte eligentium.
- 

## CAPUT IX.

## DE COMPROMISSIS.

Continet quinque Paragraphos.

- |                      |                            |
|----------------------|----------------------------|
| 1 De Compromissis.   | 4 De Divisione.            |
| 2 De Pace, & Tregua. | 5 De Novi operis numiatio- |
| 3 De Societate.      | ne.                        |

## §. I.

## DE COMPROMISSIS.

**C**ompromissum est: *Actus legitimus trium, vel plurium personarum, in quasi judicio contendentium super civili, vel pecuniaria questione.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS

Dicitur *actus legitimus*, quia *Compromissum* à *Jure Civili* inventum est.

*Trium, vel plurium personarum*, quia ad minus tres requiruntur personæ: *Actor, Reus, & Arbitrator.*

*In quasi judicio*, quia *compromissum* est redactum ad similitudinē *judicii*, ita ut sicut in isto requiruntur *Actor, Reus, & Judex*, ita in *cōpromisso* *Actor, Reus, & Arbitrator.*

*Contendentium*, nam tres personæ in *compromisso* contendunt: *Arbitrator* ad *veritatem* inquirendam; *Actor*, ut ei *Reus* condēnetur; & *Reus*, ut ab *Actore* absolvatur.

*Super*

*Super civili &c.* quia solum super causa civili compromitti potest, non autem super criminali, nisi imponatur poena pecuniaria.

Etymologia Compromissi venit à verbo *Compromitto*, compositum à tribus integris vocibus, scilicet *compro-mitto*, & nihil aliud est, quàm simul se in aliquem spontè de re in iudicio dubia mittere, & sic nomen est consequens rei, ut esse debet.

Compromissum quodam modo dici potest alienatio, sicque qui alienare non possunt, nec compromittere, quia compromissum contractus est.

Potest fieri compromissum super omnibus rebus corporalibus, & incorporalibus, sensibilibus, & insensibilibus, mobilibus, & immobilibus, & se moventibus, dummodo possint in iudicio adduci.

Non potest in arbitrum compromitti super causa criminali, nisi poena sit pecuniaria, bene verò in arbitrato-rem, & amicabilem compositorem, neque potest compromitti super libertate, servitute, ingenuitate, libertinitate, matrimonio, conversione, monachatione, restitutione in integrum, mero, & mixto imperio, & actione populari.

*Nota*, quòd actio popularis est: *Illa*, quam jus Populi indistincte tribuit unicuique persone, & est exemplum: Quis clausit viam publicam, seu aliquod ibi posuit impedimentum, quod transeuntibus præjudicat, super quo compromitti non potest, quia est actio popularis, que

pertinet ad Regem, seu Rempublicam.

Firmatur, & roboratur compromissum quatuor modis.

1 *Pœna*, quando partes ad invicem aliquam pœnam stipulantur, & illius metu pareant compromisso.

2 *Emologatione*, statim quod uterque ex compromittentibus laudaverit quod arbitratum fuerit.

3 *Taciturnitate*, si post latum arbitrium, partes tacerint per decem dies.

4 *Traditione rei*, super qua latum fuit arbitrium.

Tollitur verò, & finitur compromissum septem modis.

1 Per lapsum temporis, ad arbitrandum in compromisso appositi.

2 Interitu rei, super qua factum fuit compromissum.

3 Morte alicujus ex compromittentibus, nisi appositam sit in instrumento illa clausula: *Per se, & suos hæredes*, quia compromissum ex sui natura non est transmissibile ad hæredes.

4 Morte arbitri, etiam unius, si plures sint electi.

5 Si arbitrum infamet aliqua partium.

6 Si causam recusationis arbiter habeat justam.

7 Si partes litigare velint de communi consensu.

De substantia compromissi sunt tria.

1 Quòd sit inter compromittentes lis, causa, & differentia.

2 Quòd stipuleter certa pœna.

3 Quòd terminus ad arbitrandum assignetur; verumtamen est, quòd terminus non currit, nisi à die, quo

arbiter



arbiter acceptaverit compromissum, & post dictam diem, per regulam: *Dies termini non computatur in terminum*, nisi apprita sit hora certa.

Tres sunt arbitrorum species.

1 *Arbitrator*, qui est amicabile compositor, qui de facto, & non de jure cognoscit.

2 *Arbiter necessarius*, qui eligitur ex necessitate legis, quando Judex allegatur suspectus, ad cognoscendum de suspicione.

3 *Arbiter voluntarius*, qui eligitur de consensu partium, & in eum sub pœna, per stipulationem promissa, committitur, ut metu pœna, stetur ejus laudo, & arbitrio.

#### EXPOSITIO DIFFINITIONIS ARBITRI.

Dicitur Ille, qui eligitur de consensu partium; nam si ambæ partes non conveniunt in electione, non erit arbiter.

Et in eum, & non eam, quia mulier arbitrix esse non potest.

Sub pœna, quia pœna est de substantia compromissi, ut dictum est.

Per stipulationem promissa, quia pœna, nisi per stipulationem promittatur, exigi non potest.

Vt metu pœna, quia per poenam coguntur partes stare laudo, & arbitrio, & si nolunt, poenam solvunt.

Arbitri esse non possunt mulier, servus, furiosus, mutus, surdus, ebrius, mente-captus, utroque lumine privatus, excommunicatus, committens crimen læsæ majestatis, minor viginti quinque annis, Monachus sine Super-

rioris

rioris licentia, tutor accusatus de suspecto, bannitus in perpetuum, damnatus in metallum, & Judex ordinarius illius rei, super qua compromittitur.

Arbitratores esse possunt omnes homines, tam masculi, quàm foeminae, dummodo sint sanæ mentis.

## §. II.

## DE PACE, ET TREGUA.

**P**ax est: *Discordia finis, qui imponitur propter concordiam, & pacem; & melius: Serenitas mentis, tranquillitas cordis, vinculum amoris, & consortium charitatis.*

Tregua est: *Securitas præstita personis, & rebus ad tempus, discordia nondum finita.*

Pax est duplex: *Publica, quæ fit inter Castra, & Regna; Privata, quæ fit inter privatas personas inter se discordes, eorum hæredes, & eorum procuratores specialiter constitutos.*

Roboratur, & firmatur pax multis modis, scilicet, poena, juramento, osculo, fidejussoribus, & matrimonio.

Pœna, quæ apponitur ad firmamentum pacis, est triplex.

- 1 *Legalis, quæ à lege, vel statuto imponitur.*
- 2 *Criminalis, quæ apponitur secundum delictum.*
- 3 *Conventionalis, quæ inter partes, & de earum voluntate imponitur.*

Pacem firmare possunt omnes illi, qui aliàs possunt contrahere, cum pax contractus sit, & pro muliere possunt firmare pacem ejus pater, ejus maritus, & ejus facer, & dominus pro servo.

Instrumentum pacis habet quatuor capitula, scilicet, contrahentium, pacis, & concordiaë, promissionis, & poenæ, seu juramenti, & in ipso pacis instrumento non debet specificari quis commisit crimen, quia Judex potest procedere contro eum ex sola probatione inde resultanti.

## §. III.

## DE SOCIETATE.

**S**Ocietas est: *Duorum, vel plurium honesta facta conventio, ob commodiorum usum, & uberiores questum.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

*Dicitur duorum, vel plurium,* quia in una sola persona non datur societas.

*Honeste facta conventio,* nam societas fieri debet de re honesta, ita ut si duo convenirent de communicando lucrum ex furto, non esset societas.

*Ob commodiorem &c.* quia in societate commodiorem usum unius propter alterum esse debet.

Contrahitur societas solo partium consensu, & fit multis modis, scilicet, de omnibus bonis, de una parte tantum, ad unam, vel plures negotiationes, ad unam rem solam, ad certum tempus, ad in perpetuum, hoc est, usque ad mortem alterius ex sociis, pure, & sub conditione, quia de sui natura contractus societatis est multorum pactorum capax, & omnia debent servari, cum tamen licita sint.

De natura contractus societatis est *communitas lucri,*  
&

& damni, cum valde tritum sit, quòd *qui sentit commodum, & damnum quoque sentire debet*; verum tamen est, quòd in pactum potest adduci, quòd omne damnum ad unum tantum ex sociis perveniat, sed non lucrum, quia esset leonina conventio, hoc est, ad similitudinem leonis, qui omne commodum ex vi sibi soli vindicat.

Dissolvitur societas sex modis.

- 1 De communi partiù consensu, seu verius dissensu.
- 2 Morte unius ex sociis, quia societas non transit ad hæredes, cum personam certam eligat, qui contrahit societatem.
- 3 Finita negotiatione, omnes enim contractus, qui certum habent tempus, eo lapsò, cessant.
- 4 Publicatione, hoc est, si bona socii publicentur propter delictum.
- 5 Cessione bonorum, id est, si alter ex sociis, ære alieno gravatus, ad miserabile cessionis bonorum refugium accedat.
- 6 Interitu rei, hoc est, si res in societate adducta omninò pereat, nam sicuti absque personis nulla est societas, ita & sine rebus exerceri non potest.

Socius tenetur consocio servare promissa, rationem reddere, ac de dolo, lata, & levi culpa, sed non de levissima, nec de casibus fortuitis.

Tria concurrunt in societate.

- 1 *Lucrum verum*, quod remanet ultra capitale.
- 2 *Lucrum cessans*, quando solum remanet capitale.

3 *Dam-*

3 *Damnum*, quod est diminutio capitalis.

Instrumentum societatis habet quatuor capitula, scilicet contrahentium, rerum in societate adductarum, promissionis de rata habenda societate, & clausulæ generalis.

§. IV.

DE DIVISIONE.

**D**ivisio est: *Rerum communium separatio*, nam solum fit super rebus communibus, & uterque dividens efficitur dominus rei, quæ ei contingit in partem; unde sequitur, quod divisio est titulus habilis ad transferendum dominium, ideòque necessaria est traditio, seu stipulatio.

Dividere possunt, quia aliter contrahere, & de rebus suis alienare valent, dummodo bona habeant communia; unde minor vigintiquinque annis non potest dividere, nisi ad divisionem sit ab aliquo provocatus, eò quia si provocatus non esset, divisio esset alienatio voluntaria, quam ipse contrahere nequit.

Potest fieri divisio in rebus corporeis, & incorporeis, mobilibus, & immobilibus, præsentibus, & futuris, nisi sint tales, quæ commodam non recipiant divisionem, quæ tali casu veniunt æstimandæ, unde si duo, aut tres habent equum communem, & eum dividere volunt, certè non possunt, sed debet æstimari, & alter dare tenetur alteri, seu alteris partem æstimationis, vel possunt equum vendere, & pretium dividere, & si omnes æstimationem præstare velint, præfertur habens ma-

jorem partem in re communi; si verò sunt omnes in parte æquales, sorte dirimitur.

Nemo invitus cogitur stare in communione, sicque non datur præscriptio contra divisionem, & de istius substantia sunt res divisa, & traditio.

Divisio fit multis modis, nempe, de communi consensu, per viam judicii, vel compromissi, per sortes, æstimationem, licitationem, ac etiam per testatorem, sed iste non potest divisionem prohibere ad in perpetuum, sed ad tempus.

Quando bona sunt communia ex hæreditate, petitur divisio actione familiæ hærciscundæ, quod ex proposito adduco, ut instruantur Tyrunculi de horum vocabulorum etymologia; nam familia ponitur pro substantia, seu hæreditate, & hærciscūdæ venit à verbo *Hærcisco*, quod est græcum, idem valens quod divido; unde familiæ hærciscundæ idem est, quod hæreditatis dividendæ.

Instrumentum divisionis habet quatuor capitula, scilicet, contrahentium, divisionis, promissionis, & clausulæ generalis.

§. V.

DENOVÌ OPERIS NUNTIATIONE.

**N**untiatio novi operis est: *Monitio, quòd opus novum fiat, & prohibitio ne novum opus exædificetur.*

Ille dicitur facere novum opus, qui, aut ædificando, aut destruendo, aut foveam faciendo, pristinam faciem operis immutat.

Cum

Cum nuntiatio novi operis fiat in rem, & in personam, inde est, quod non solum domino, sed etiam fabricis, & de mandato domini operantibus fieri potest.

Dupliciter fit nuntiatio novi operis.

1 Judicialiter, quando quis videns aliquem in solo suo ædificare, edit Judicem, ut ædificanti præcipiat, quatenus se ab opere abstineat, & tunc expeditur mandatum cum clausula justificativa ut cesset, donec jus sit dictum, & ipsum mandatum per comparitionem partis reducitur ad simplicem citationem.

2 Extrajudicialiter, vel solo verbo, fit in loco ædificii, dicens domino novi operis: *Nuntio tibi novum opus*, cum jactu lapidis in novum ædificium, nondum semel, sed triplicata vice lapidem in novum opus projiciendo, intervenientibus quoque verbis, exprimentibus, cur ea fieri, & cum Notarii, & testium interventu, & in instrumento debet exprimi quantum opus jam sit factum, cum mensura longitudinis, latitudinis, & altitudinis, ut appareat quid post nuntiationem fuerit factum.

Nuntiatio novi operis vim habet appellationis, & sic ea pendente, nihil est innovandum, imò omne uti attentatum, ante omnia revocatur, nisi nuntiatum ad perficiendum opus præstet cautionem de demoliendo, in casu subcumbentiæ; sed si nuntians se offert paratum intra tres menses de jure suo docere, non est locus dictæ cautioni, sed in opere desistendum est.

*Nota*, quòd in quocumque instrumento requisitionis

( quale est instrumentum nuntiationis novi operis ) quo pars requisita terminum Constitutionis ad respondendum sibi retinet, non potest Notarius tradere parti instanti copiam autenticam requisitionis, quin prius transacti sint duo dies naturales, hoc est 48. horæ completæ, isto verò termino lapsò, sive requisitus respondeat, sive non, copiã parti petenti liberabit; ita enim præscribitur in Constitutionibus Generalibus Cathalonix, sub Const. quæ incipit: *Quiscun Notari &c.* & pro his vulgò dicitur in hoc causa: *Reservarse lo temps de la Constituid.* Super instrumentis autem requisitionis, & responcionis, videat Notarius *Declarationem nostri Regii Senatus sub die 23. Octobris 1755.*

*Item nota,* quòd ad hoc ut requisitio constituat in mora requisitum, necessarium est, quòd ipsi fiat ostensio scripturarum, de quibus in requisitione fit mentio, & tutius est tradere copiam eidem requisito, maximè si requisitio versetur super rebus, quæ cum ipso gesta non sunt, quia tunc habet justam causam ignorantix; secùs verò si versetur super rebus cum ipso requisito gestis; quod advertet Notarius quando copiam requisitionis pro requisito transcribet.

## CAPUT X.

## DE ADOPTIONE, ET ARROGATIONE.

Continet quinque Paragraphos.

- |   |                                     |   |                          |
|---|-------------------------------------|---|--------------------------|
| 1 | <i>De Adoptione, &amp; Arroga-</i>  | 3 | <i>De Manumissione.</i>  |
|   | <i>tionem.</i>                      | 4 | <i>De Emancipatione.</i> |
| 2 | <i>De Professione, &amp; Offer-</i> | 5 | <i>De Procuracione.</i>  |
|   | <i>tionem.</i>                      |   |                          |



## DE ADOPTIONE, ET ARROGATIONE.

**A**doptio est: *Actus legitimus, per quem qui filius non est, pro filio habetur, penè naturam imitans.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *Actus legitimus*, quia adoptio à Jure Civili est inducta.

*Per quem qui filius non est*, nam filium suum nemo potest adoptare, sed alienum.

*Pro filio habetur*, nam qui adoptat, virtute adoptionis, in filium eligit adoptatum.

*Penè naturam imitans*, quia non fiunt adoptati filii naturaliter, sed accidentaliter.

Arrogatio eodem modo diffinitur, & explicatur.

Adoptare possunt, & arrogare omnes illi, quibus à jure non est prohibitum, dummodò sint masculi, & adoptans debet præcedere eum, quem vult adoptare in ætate, decem & octo annorum, quia cum adoptio naturam imitetur, pro monstruo esset, patrem filio grandiore non esse.

Mulieres adoptare non possunt, nisi ex speciali Principis indulgentia, eis propter solatium concedatur licètia.

Arrogati sunt, qui cum essent sui juris, ex rescripto Principis sese in arrogationem dederunt, & ipsi, eorum bona, & filii, si quos habent, transeunt in potestatem patris arrogatoris.

Adoptivi sunt, qui cum essent filii familias, à suo  
legiti-

legitimo, & naturali patre dati sunt alteri in adoptionem coram quocumque legitimo Judice, & si dantur in adoptionem avo paterno, vel materno, liberantur à potestate patris naturalis, & subjiciuntur potestati patris adoptantis; si verò dantur in adoptionem alicui extraneo, tunc manent in potestate patris naturalis; unde venit ille vulgaris versus:

*Arrogo qui suus est, sed habet meus esse à necessè,  
Patris adopto suum, sed patris permanet idem.*

Adoptio, & arrogatio differunt in quinque.

1 Quia adoptio fit de filio familias; arrogatio verò de patre familias.

2 Quia adoptio fit coram quocumque Judice; arrogatio verò coram Rege, vel cum ejus Rescripto.

3 Quia adoptio fit de voluntate quatuor personarum, scilicet, patris naturalis, filii adoptivi, patris adoptantis, & judicis auctorisantis; Arrogatio verò solum de voluntate trium personarum, scilicet, ipsius arrogati, patris arrogantis, & Regis auctorisantis.

4 Quia filius arrogatus transit in potestatem patris arrogantis; adoptatus verò remanet in potestate patris naturalis, nisi adoptetur ab avo.

5 Quia adoptio est genus, comprehendens arrogationem; arrogatio verò est species.

Conveniunt tamen in quatuor.

1 Quòd quælibet est inducta à Jure Civili.

2 Quòd utraque indiget à necessario scriptura.

3 Quòd

3 Quòd ambæ solemnè juris ordine , apud Judicem compleri debent.

4 Quòd ambæ fieri debent personaliter , & non per procuratorem.

Effectus adoptionis est , quòd filius adoptatus transit in potestatem patris adoptantis , si suus est , & necessarius , ut nepos adoptatus ab avo , & venit ipse nepos ita ad divisionem bonorum patris adoptantis , sicut alii filii legitimi , & naturales ; si verò adoptans est extraneus , solum habet adoptatus jus succedendi ab intestato.

Arrogationis effectus est , quòd qui arrogatur transit in potestatem patris arrogantis cum filiis , & omnibus bonis suis , & habet jus alimentorum in bonis patris arrogantis , durante arrogatione , sed non ea finita.

## §. II.

### DE PROFESSIONE , ET OFFERTIONE.

**P**rofessio est: *Abnegatio propriæ voluntatis , vitam activam abnegantis , & contemplativam liberè eligentis.*

Offertio est: *Personæ , rei , vel rerum alicui domino , vel loco religioso facta oblatio.*

In professione considerantur quatuor.

1 *Legitima ætas.* in profitente , quæ juxta Sac. Concilium Tridentinum , est sexdecim annorum.

2 *Conditio* , id est , quòd profitens sit liber , & non servus.

3 *Sanitas* , hoc est , quòd sit mente sanus , & non infirmus.

4 Ho-

4 *Honestas*, id est, quòd sit honestæ vitæ, & in Fide non errans.

Contrahitur professio solo consensu, ad similitudinem matrimonii carnalis, cum professio sit matrimonium spirituale.

Effectus professionis est, quòd si quis dat se Monasterio, videtur, se, & sua dedisse, & dominium rerum suarum amisisse, cum ex voto solemniter per professionem emisso, abdicatum sit ab eo arbitrium propriæ voluntatis, & pro mortuo reputatur, & quidquid acquirit pro professus, Monasterio acquirit.

Offertio fit quatuor modis.

1 Quando quis dicat, se Monasterio, personam scilicet tantum, & non bona.

2 Quando quis bona sua tantum, & non personam dat Monasterio.

3 Quando quis dat unam rem tantum.

4 Quando quis dat se Monasterio, & omnia sua bona simul.

### §. III.

#### DE MANUMISSIONE.

**M**Anumissio est: *Libertatis datio*; nam servus manumissus efficitur liber; & idem est manumissio, quòd è manu-datio.

Duobus modis fit manumissio.

1 Publico instrumento coram Notario, & testibus; nam est actus voluntariæ jurisdictionis, dependens à me-

ro arbitrio domini, & non est necesse coram Judice eam expediri.

12 no Ultima voluntate, quando quis in ea libertatem servo legaverit, vel ipsum servum sibi hæredem instituerit.

01 Possunt manumittere omnes, qui possunt contrahere, habentes tamen servos in sua potestate.

Effectus manumissionis est, quod manumissus efficitur verè liber, taliter quod potest contrahere, pacisci, & iudicio interesse, sed non cum domino, seu patrono, nisi prius venia petita, & obtenta, ac etiam debet manumissus, seu libertus inclinare caput, quando videat patronum, nec debet ei esse ingratus, nam per ingratitude potest à patrono reduci in servitute.

## §. IV.

## DE EMANCIPATIONE.

**E** Mancipatio est: *Relaxatio patriæ potestatis coram legitimo Judice facta*; nam per emancipationem ablevitur jus patriæ potestatis, & si non fieret coram legitimo iudice, non valeret; sed tamen cum emancipatio sit actus voluntariæ jurisdictionis, quia fit inter volentes, & nequaquam potest inter invitos expediri; inde est, quod fieri potest coram Notario, qui est iudex chartularius, & voluntariam jurisdictionem exercet.

Etymologia emancipationis est, quod dicitur ab è, quod est extra, & mantipatio, id est, *manuum-positio*, unde emancipatio idem est, quod *extra-manuum-positio*, & est nomen consequens rei, ut esse debet.

Emancipare possunt omnes illi, qui sunt sui juris, & de linea ascendentium masculina, & habent filios, vel nepotes in potestate, non autem foemina, quia non habent filios in potestate.

Emancipari non possunt infans, nisi cum rescripto Principis, absens, invitus, nec quis ad unum actum dumtaxat.

Causa efficiens emancipationis, est consensus utriusque, Patris scilicet emancipantis, & filii emancipati, ac legitimi iudicis auctoritas.

Licet emancipatio fieri possit die feriato, quia est actus voluntariae jurisdictionis, non autem fieri potest per procuratorem, quia est actus personalis, & semper in ea est necessaria scriptura.

Pater emancipans filium, potest retinere in sua potestate nepotes, ac etiam dimidiam partem ususfructus de bonis adventitiis filii emancipati, quae ipsi patri velut in praemium emancipationis conceditur.

Effectus emancipationis est, quod filius sequuta emancipatione, potest civiliter cum patre contrahere, ac etiam testari, pacisci, & litigare, & omnia agere tamquam personam sui juris, & pater familias.

§. V.

#### DE PROCURATIONE.

**P**rocurator est: Ille, qui negotia aliena, mandato sibi à domino factò, gratuito gerenda suscipit, plura, vel unum.

EX-

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *ille*, & non *illa*, nam mulier procuratrix esse non potest ad causas, licet potest ad negotia parentum, & propinquorum.

*Negotia aliena*, quia nemo rem suam defendit ut procurator, sed ut negatorum gestor.

*Gratuitò*, nam si intervenit pecunia, non est procuratio, sed locatio operæ personalis.

*Suscipit*, ideò dicitur, quia procurator non solum tenetur ad ea, quæ gerit, sed ad quæ gerenda per susceptum mandatum ipsi est necessarium.

Constituere possunt procuratores omnes, qui à lege non prohibentur, prout sunt infans, infamis, furiosus, mente-captus, mutus surdus, prodigus, servus, apostata, hæreticus professus, & excommunicatus, & committens crimen læsæ majestatis.

Meque procuratores esse possunt omnes supradicti, quibus additur foemina, nisi pro parentibus, & propinquis ad negotia, cæcus, & minor viginti quinque annis ad judicia.

Finitur mandatum, seu procuratio morte constituentis, seu procuratoris, interitus rei, finito negotio, per revocationem, & per constitutionem alterius procuratoris, nisi adjiciatur illa assueta clausula: *Citra revocationem &c.*

Procurator constituitur purè, in diem, sub conditione, & ad in perpetuum, sed non se potest extendere ad plus

quam est constitutus, licet habeat generale mandatum, quod non valet in casibus, quibus requiritur speciale, exceptis connexis negotiis, quorum unum sine alio expediendi non potest.

Syndicus est: *Univerforum causas gerens.*

Oeconomus est: *Persona ecclesiastica, cui res Ecclesiæ gubernandæ mandantur.*

Mandatum habet tria capitula, scilicet proœmii, causæ, ad quam datur, & promissionis,

Constituatur procuratio inter præsentem, ac etiam inter absentes; unde nota, quod supervacaneum est dicere in procuratione *Tamquam præsentem*, nam procurator, qui constituatur absens, solum per susceptionem mandati videtur acceptare.

## LIBER TERTIUS.

### DE SECUNDA PARTE ARTIS

#### NOTARIÆ,

#### SUPER ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

#### PROŒMIUM.



DE prima parte Artis Notariæ, quæ omnes usu hominum frequentiores amplectitur contractus, satis mihi dicta videntur ad primam Tyruncolorum informationem, juxta

meum



meum propositum; nunc opus est devenire ad Secundum Partem, qua Ultimæ hominum Veluntates continentur; materia equidem sicuti utilissima, & Notariis valdè necessaria, ita & periculosissima illis, qui præsumptuosè, & absque rationabili, vel sufficienti peritia, ad attestandum de Ultimis Voluntatibus se intromittunt; propterea in hoc Tertio libro Ultimarum Voluntatum materiam Notariæ Tyrunculis exponendam adduxi per sex Capitula, & unumquodque Capitulum suis congruentibus paragraphis perornatum, in modum sequentem.

## SECUNDA PARS ARTIS NOTARIÆ, DIVIDITUR PER SEX CAPITULA.

- 1 De Testamentis.
- 2 De Legatis.
- 3 De Hæredum Institutione.
- 4 De Substitutionibus.
- 5 De Caducis.
- 6 De Donatione causa mortis.

### CAPUT I. DE TESTAMENTIS.

Continet quinque Paragraphos.

- |   |                               |
|---|-------------------------------|
| 1 De Testamentis in genere.             | 4 De Testamento nuncupativo.  |
| 2 De Personis, quæ testari non possunt. | 5 De Testamento sacramentali. |
| 3 De Testamento solemn.                 |                               |

## DE TESTAMENTIS IN GENERE.

**T**ESTAMENTUM est: *Voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis, post mortem suam, fieri vult, cum hæredis institutione.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *voluntatis nostræ*, id est, liberæ, & non coactæ, ac etiam ex libero testantis arbitrio procedentis, & ideo notandum est, quòd si aliqui testatoris amici, seu propinqui ipsum inducerent coram Notario in ordinatione testamenti, ita ut colligi possit aliud à sua voluntate, propter persuasionem disponere, debet Notarius à receptione testamenti se abstinere, nam tunc non testatoris, sed aliena voluntas est, & ita multoties mihi accidit, & frequenter contingit, quando testator ægrotat.

*Iusta sententia*, non autem injusta; nam si aliquid testator contra bonos mores præcipiat, non est servandum, & etiam, cum objectum testamenti sit æterna salus, ita iustè ordinari debet, ut nullum odii, vel malevolentia fimum retineat, namque aliter, ultra suæ animæ perditionem, testamentum non valebit.

*De eo*, id est, de universo patrimonio, quia testamentum totius patrimonii dispositionem debet continere; nemo enim in parte testatus, & in parte intestatus decedere debet, quinimo si testator aliquem hæredem in parte sibi instituerit, & alteram partem alteri instituendo non assignaverit, ipse particularis hæres habebitur pro universali.

*Quod quis*, id est, testator, seu testatrix, quia utique foemina, sicut vir, testari potest.

*Post mortem suam*, quia testamentum non valet, nisi morte testatoris secuta, ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est. Ita B. Paulus Apostolus in epist. ad Hebr. cap. 9. etiam si testator vellet, quod hæres in continenti apprehendat bona, nam voluntas hominis ambulatoria est usque ad extremum vitæ.

*Cum hæredis institutione*, nam sine ea non valet testamentum, quia illa est caput, & fundamentum totius testamenti.

Etymologia testamenti est quasi *testatio-mentis*, hoc est, voluntatis declaratio.

Testamentum habet sex capitula, ex quibus tria sunt necessaria, scilicet, præmium, hæredis institutio, & clausula finalis, seu codicillaris, & reliqua tria sunt voluntaria, nempe legata, substitutiones, & providentiæ.

In testamento duo considerantur solemnitates.

1. *Extrinseca*, quæ consistit in numero testium, & rogatu ipsorum.

2. *Intrinseca*, quæ stat in debita testamenti ordinatione.

In serie testamenti servatur hic ordo.

1. Ponitur præmium, quod est nomen compositum à vocibus *protos*, & *æmio*, græcè significantibus

ante cantum, vel ante ingressum; & melius *protos*, id est, primum, & *œmio*, id est, orno, quasi dicens, primus libri ornatus, & primò ponitur loco, quia à dignioribus est inchoandum; dignius est enim procemium præ cæteris clausulis, nam in eo fit mentio de persona testatoris, de ejus sobrietate, & de qualitate testamenti.

2 Apponuntur legata, quia sæpè sæpius fiunt propter animam, quæ dignior est corpore, & post pia legata, sequuntur profana.

3 Ponitur hæredis institutio, quæ est fundamentum totius testamenti; & pro his ponitur in medio, quia cæteris clausulis dominatur.

4 Continuantur substitutiones, quæ sunt quasi filiarum institutionis, & non potest dari substitutio, quin præcedat institutio.

5 Ponuntur providentiæ, quia priora meritò occupata sunt.

6 Ponitur clausula finalis, seu codicillaris, quia claudit testamentum, & per illam providetur multis periculis, quorum incursum testatoris voluntas omninò deficeret.

Et quia testamentum aliquandò dicitur esse inofficiosum, caducum, irritum, ruptum, injustum, & infirmum, istarum dictionum significata pro Tyruncolorum intelligentia breviter adducam.

*Inofficiosum* dicitur testamentum, quando contra pietatis officium conditum est. Officium enim inter Deum, & hominem dicitur Religio; inter patrem, & filium, Pietas; inter

inter patronum, & libertum, Obsequium; inter Prælatum, & subditum, Obedientia; inter majores, & minores, Reverentia; inter dominum, & servum, Servitium; & inter hominem, & hominem stat in nomine generali; unde liberis, sine causa exhæredatis, vel præteritis, datur querela inofficiosi testamenti.

*Caducum* dicitur testamentum, quasi viribus carens, & ipso jure est nullum, vel propter defectum solemnitatis, vel quia hæres in eo institutus, præmoritur testatori.

*Irritum* dicitur quasi non ratum, & proprie est, quando hæres in testamento institutus, efficitur incapax, capitis diminutione, vel aliâ.

*Ruptum* efficitur testamentum per natiuitatem posthumi non instituti.

*Injustum* dicitur, quando non justè factum, & juris solemnitates non sunt adhibitæ.

*Infirmum*, & *nullum* sunt verba communia ad omnia præcedentia.

Intestabilis dicitur homo quatuor modis.

1 In voce activa, ut quia testari non potest, ut filius familias, & alii seq. §. explicandi.

2 In voce passiva, ut quia hæres esse non potest ex causis *infra cap. 3. §. 1.* exponendis.

3 Dicitur intestabilis ille, qui testis in testamento esse non potest, ut *infra explicatur cap. 6. §. 2.*

4 Generaliter dicitur intestabilis ille, qui testimonium facere non potest, ut hæreticus, & alii similes.

## DE PERSONIS, QUÆ TESTARI NON POSSUNT.

**A**Ntequam ad testamentorum species explicandas accedam, advertendum est, quòd omnibus est permissa testamenti factio, nisi quibus à lege prohibetur, qui sunt quatuordecim, quos sequentes versus amplectuntur.

1. *Filius in sacris*, 2. *morti damnatus*, 3. *& obses*,
4. *Prodigus*, 5. *ac stultus*, 6. *servus*, 7. *dubius*, 8. *furius*,
9. *Crimine damnatus*, 10. *cum muto*, 11. *& Religiosus*,
12. *Qui Majestatem laesit*, 13. *sic cecus*, 14. *& ipse*

*Impubes*; qui omnes testari ex jure vetantur.

1 *Filius in sacris* nexibus patriæ potestatis constitutus, id est, filius familias testari non potest, etiam de consensu patris, quia factio testamenti est publici juris, & non debet ex alieno judicio pendere, sed remedium est, quòd pater emancipet filium, qui tunc optimè restabitur; de castrensi, seu quasi castrensi peculio potest etiam nolente patre, testari.

2 *Morti damnatus* per sententiam, quia efficitur servus, & quasi pro mortuo reputatur; potest tamen donationem facere inter vivos cum licentia Judicis, qui eum sententiavit.

3 *Obses* est, qui traditur imperio alicujus, ea conditione, ut si, qui obsidem dedit, à fide recedat, recipienti sit potestas in corpus, & vitam illius serviendi, & non potest testari, dum sit obses, nisi veniam impetraverit; sed hoc intelligitur de obside, qui datur ab infidelibus, & è

contra, non autem de illo, qui datur Christianis à Christianis, & idem est de Captivis; & scitote, quod obses in nostro materno idiomate sibi vult: *Rehen de pau, ò de còcert.*

4 *Prodigus*, ille scilicet, cui bonorum administratio interdicta est à Judice, qui tunc dicitur prodigus juris, & facti simul, testari non potest, nisi tantum inter liberos, si quos habeat.

5 *Stultus*, hoc est, mente-captus, durante morbo, testari non potest; si verò ad sanitatem redierit, optime testatur.

6 *Servus* itidem testari non potest, quia non est persona suis juris.

7 *Dubis*, id est, ille, qui dubitat de suo statu, an sit liber, vel servus, filius, vel pater familias, ex dicta causa incertitudinis testari non potest.

8 *Furiosus* quoque testari nequit, durante furore, sed si habet dilucida intervalla, tunc temporis testari poterit.

9 *Crimen damnatus*, id est, condemnatus de famoso crimine, ut apostata, incestuosas nuptias contrahens, & hæretici, nisi filios habeant fideles, in quorum favorem possunt testari.

10 *Mutus, & Surdus* simul à natura testari non potest; quia nec Notarius, nec testes possunt intelligere sanè voluntatem ejus, secus, ille, qui tardè, vel balbucienter loquitur; si verò sit ex accidenti, & literatus, potest testari, si tamen testamentum manu sua proptia coram Notario, & testibus scribat, aliàs autem non.

11 *Religiosus*, id est, professus, quia per professionem abdicatur ab eo arbitrium propriæ voluntatis, & pro mortuo reputatur, testari non potest.

12 *Committens crimen læsæ Majestatis*, & perduelliones Reipublicæ, sicuti damnati de crimine famoso, non possunt testari.

13 *Cæcus*, id est, utroque lumine privatus, testari non potest, nisi cum solemnitatibus, ordine, & forma sequentibus, nempe, ut coram septem testibus legitimis, & scribere scientibus, & publico Notario profiteatur ipse cæcus, se sine scriptis testari velle, nomina in primis, cognomina, & agnomina hæredum, specialiter cum dignitatibus eorum, & aliis indiciis recitet, & in quantum eos instituit, præterea legata, & fideicommissa ore proprio dilucidè declarabit, & hæc omnia scribentur per Notarium, & scripta palam recitabuntur, quibus recitatis, & lectis, cæcus in præsentia, & audientia dictorum testium profitebitur, illud esse suum testamentum, & sui animi dispositionem, & prædictos in testimonium vocatos rogabit, dicti sui judicii testes esse, & immediate Notarius, & testes se subscribere, & firmare debent in fine dicti testamenti, & unusquisque suum signaculum apponere, ita ut habeat octo firmas, inclusa firma Notarii.

Ex præmissis aparet, quòd testamentum cæci est nuncupativum, & quod in eo sunt duo substantialia, scilicet, quòd cæcus totam suam voluntatem ore proprio coram Notario; & testibus dilucidè exprimat, & quod



septem testes sint presentes, & firment, & exinde resultat, quòd *Cæcus in scriptis testari non potest*, hoc est, non potest facere testamentum clausum, cum nuncupativa; & Notario, & testibus manifesta debeat esse ejus dispositio.

Sed tamen si cæcus testatur inter liberos, seu filios, nulla indiget solemnitate, quinimo testari potest sicut quislibet alius, qui nullum juris habet impedimentum; si verò inter extraneos, servari debet præmissa forma à Jure Communi tradita, nulla adjecta differentia, an cæcus sit à nativitate, vel ab accidenti; verum enim est, quòd ampliatio prædicta, casu quo cæcus inter liberos testetur, intelligenda est quoad numerum testium, & suscriptionem, non verò quoad nuncupationem, quia testamentum cæci, vel inter liberos, vel inter extraneos factum, semper nuncupativum esse debet.

Monoculus, sive cocles testari potest, & nulla indiget solemnitate.

*Impubes*, id est, masculus minor quatuordecim annis, & foemina duodecim, testari non potest, quia nullam discretionem habere præsumitur, & perfectio intellectus requiritur in testamento.

### §. III.

## DE TESTAMENTO SOLEMNI.

**T**estamentum solemne, sive in scriptis, est: *Illud, quod in solemnitatibus scriptura, subscriptionibus testium, & sigillorum appositione consistit.*

Licet hæc forma testandi jam abiit ab usu, tamen pro

notitia

notitia Tyrunculorum, illius antiquam relationem non omitto, quæ hæc est, scilicet, testator volens ordinationem suam esse secretam, ipsemet scribet testamentum suum, seu per Notarium (qui ex vi juramenti ad secretum tenetur) scribi faciat in quadam membrana bona, & solida, in cujus parte superiori, & in inferiori relinquatur spatium trium digitorum, & tantundem in dextero, atque sinistro latere, in medio autem horum spatiorum scribatur tenor testamenti, quo facto, duplicabitur membrana ipsa, ita quòd spatium superius injungatur cum inferiori, & fingantur ibi tres cordulæ, & in latere dextero duæ, & in sinistro aliæ duæ, & erunt septem, quarum quælibet exeat, & pendeat per duo foramina, quæ quidem cordulæ dictam membranam duplicatam ligent, eo quod interiora non legantur; postea vocabit testator septem testes legitimos, & scribere scientes, & coram eis dictam membranam modo prædicto clausam exhibebit, asserens, illud esse suum ultimum testamentum, sua, vel alterius manu scriptum, rogando ipsos eidem suo testamento testes esse, & quod in fidem, & robur ejus in spatio se suscribant, & in cordulis prædictis signacula apponant, & incontinenti ipse testator se subscribat, vel si nescit, alium octavum testem, vel subscriptorem adhibebit, postea Notarius, & gradatim unusquisque ex septem testibus, & sigillum proprium, si habeant, sin autem alienum, in singulis cordulis apponat uno, & eodem instanti loco, & tempore, coram testatore.

Colligitur ex præmissis quantæ observationis, & solemnitatis sit modus iste testandi, & quod valde periculosum est in eo inniti, præmaximè cum loco ejus habeamus in hoc tempore laudabilem praxim testamenti clausi, quod eundem operatur effectum cum sola testatoris, & duorum testium subscriptione, nam in hoc Principatu Cathalonix (præterquam in testamento, & codicillis cæci, & aliis in casibus, quibus jus commune retinetur) duo testes ad testamenta suffiunt, ita enim declaratum fuit per nostrum Regium Senatum *sub die 23. Octobris 1755.*

#### DE TESTAMENTO NUNCUPATIVO.

**T**estamentum nuncupativum est, quod *consistit in nuncupatione sue voluntatis, quam testator facit, & non in solemnitate scripturæ,* & ideo dicitur nuncupativum, quia testibus, qui intersunt, omnia manifestantur, quæ in testamento ponenda sunt, sive sint legata, sive sint institutiones.

Appellatur etiam testamentum sine scriptis, quia licet in scriptura communiter, & ex laudando more redigatur, non tamen est de substantia, & solum nuncupatio est forma requisita.

Requiritur de jure communi in hoc, & aliis testamentis numerus septem testium, sed in hoc Principatu, ex antiquissima, & immemoriali consuetudine, sufficit præsentia duorum testium, nisi in aliqua Civitate, qua jus commune, ut supra dixi, retinetur.

Et quia in materia testamentorum debent esse Notarii valde cauti, & instructi propter magna ex eis imminencia pericula, ideò pro Tyronum informatione (licet aliquantulum à meo brevitatis proposito discedam) ipsis adduco sequentem instructionem.

Quando Notarius requiritur ad recipiendum aliquod testamentum, non illud nocte recipiat, nisi ex urgenti causa, ut si aliquis ita langueret, quod in promptu haberet testari, & in hoc casu ritè, & cautè procedet, si tria luminaria accendere faciat, ita ut cum hac triplicata luce. possit testator agnoscere testes, & è contra, & providet multis aliis periculis, quæ si fiat in obscuro accedi possunt, & non temerè faciet, si hoc idem servaverit in quocumque instrumento nocte conficiendo.

Deinde debet diligenter se informare Notarius de conditione, qualitate, & dispositione personæ testari volentis, utrum sit talis, quæ in jure possit, & an sit sobriæ, & sanæ mentis, præsertim in senibus, & infirmis; nam licet senectus, & corporis infirmitas non impedit testamenti factionem, & aliàs in sene præsumitur perseverantia, & integritas mentis, cum valdè tritum sit, quòd *plus valet umbra senis, quam juvenis ensis*, tamen ratione senectutis, & infirmitatis, sunt expositi ad decrepitan- dum, vel delirandum, sicque Notarius statum testatoris perpendere poterit in loquela, & verbis, nam si rectè loquatur, & respondeat ad ea, de quibus interrogatur, & testes agnoscat, singulos suis nominibus, & cognominibus no-

nominando, compos mentis potest judicari; si verò verba proferat impertinentia, & vana, vel si testes aliundè à se notos non agnoscat, phreneticus, vel febricaptus judicari debet, & proinde inhabilis ad testandum; sed tamen medium in his observet prudenti cogitatione Notarius: *Virtus enim est mediocritas duorum vitiorum, alterius secundum excessum, & alterius secundum defectum.*

Præterea inquirat Notarius, an persona testari volens habeat filios, vel nepotes ex filiis mortuis, ut singulos in aliquo hæreditatis jure instituat, nam si aliquem præterierit, inofficiosum erit testamentum; quærat etiam de uxore testatoris, si prægnans sit, quia in hoc casu tenetur testator legatū facere posthumo, seu posthumis, uni, vel pluribus, si ad lucem pervenerint, nam aliàs rumperetur testamentū; si verò nullos habeat filios, vel nepotes, inquirat Notarius, si testator habeat patrem, vel matrem, avum, vel proavum paternum, vel maternum, quia si patrem, vel avum habuerit paternum, testari non potest, nisi fuerit emancipatus, vel peculium habuerit castrense, seu quasi; sed si patrem, vel avum paternum non habuerit, testari poterit, ascendentes tamen in aliquo instituendo; & casu quo testator sit filius familias emancipatus, vel peculium habens castrense, seu quasi, & liberos non habuerit, vel nepotes, tenetur suis parentibus, vel avis aliquid de bonis suis jure institutionis legare, salva tamen gradus prærogativa, nam pater, & mater habent primum gradum, ita quod, ipsis stantibus, non tenetur filius testator ali-

quid avo, vel aviæ legare; collateralibus, utem seu transversalibus, ut sunt fratres, sorores, pattui, avunculi, vel amitæ, non aliquid relinquere tenetur.

Insuper, perpensis omnibus prædictis, quærat Notarius à testatore, quomodo, & qualiter testari vult, quæ legata facere, & quos hæredes instituere, & si aliquid aliud facerat testamentum, & si videat, testatorem non justè testamentum ordinare velle, debet illum dirigere, & ut melius valeat informare; sed si tenaciter in sua errata intentione testator persistat, decedat ab eo, & testamentum non recipiat, quia melius est aliquem intestatum, quàm malè testatum decedere, & Notarius non cogitur, imò prohibitus est ab instrumentis prohibitis cõficiendis.

Postremo caveat Notarius, ne testatoris rectam, & bene ordinatam intentionem suis çabillationibus, & imaginariis difficultatibus pervertat, mutari faciat, aut fortassè differat, nam requiritur, quòd testamentum fiat uno contextu, id est, nullo alio actu interposito, nisi fiat ex necessitate, putà, medicaminis datio, vel superflui ponderis depositio, & omnia, quæ per testatorem ordinantur, fideliter, terminisque, ac vocibus propriis, & facultativis ita clarè scribat, ut non dubiè interpretari possint, nam sæpè fit, ut bene à testatore disposita, malè à posteris intelligantur, & hoc sæpius ex ambigua Notarii narratione; & ita, scripta tota testamenti serie, illam veraciter coram testibus recitet, summè cavens, ut testator ore proprio testes nominet, vel roget: in hac materia testa-

mentorū menti teneat Notarius *dispositionem cap. 4. ex Regiis Ordinationibus anni 1755.*

§. V.

*DE TESTAMENTO SACRAMENTALI.*

**S**acramentale testamentum idè dicitur, non quia testator debeat jurare, se testamentum habere ratum, ut amplius illud revocare non possit, nam tale testamentum invalidum est, atque prohibitum, cum sit contra bonos mores, & liberæ quodcumque testandi facultatis impeditivum, & voluntas hominis, ut dixi, ambulatoria est usque ad extremum vitæ, quod non esset, nam per juramentum abdicaretur arbitrium propriæ voluntatis, & testamentum solum per testantis mortem confirmatur.

Dicitur ergò sacramentale, quia testes, qui interfuerunt ipsi testamento, jurant, se ita vidisse, vel audivisse, scribi, vel dici, sicut in illa scriptura continetur, sive in ultima voluntate verbo tenus à testatore declarata.

Conficitur istud testamentum, quando quis, præsentibus testibus in terra, vel in mari, Notario non præsentè, in scriptis, vel verbo suam exprimit voluntatem cum hæredis institutione; postea verò mortuo testatore, & testibus coram legitimo Judice vocatis, jurant isti modo prædicto, & tunc Judex decernit dictum testamentum, & de ipso scripturam per Notarium fieri mandat: quod quidem testamentum, etsi sacramentale dicatur propter testium juramentum, propriè nuncupativum est, cum in sola testatoris nuncupatione consistat.

## CAPUT II.

## DE LEGATIS.

Continet sex Paragraphos.

1	<i>De Legatis.</i>	4	<i>De Tutela.</i>
2	<i>De Falcidia.</i>	5	<i>De Cura.</i>
3	<i>De Manumisso.</i>	6	<i>De Inventario.</i>

## §. I.

## DE LEGATIS.

**L**egatum est: *Donatio quadam à defuncto relicta, & ab herede præstanda.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *donatio*, ad denatandum, quòd qui legat, donat, & ideò nemo cogitur legare.

*Quadam*, ad differentiam aliarum donationum, quæ, ut prædixi, sunt sex, & ista est una de illis, & solum locum habet in testamentis, vel codicilis.

*A defuncto &c.* quia legatum non debetur, nisi obitu legantis secuto, & legatarius debet accipere legatum, *regulariter*, de manu hæredis.

Dixi *regulariter*, quia casus est, in quo, etsi legatum hæres præstare non possit, validum est, utpotè si per testatorem fuerit legatus ususfructus suorum bonorum uxori suæ, & filium, uxore mortua, hæredem instituerit.

Legare possunt omnes illi, qui sunt habiles ad testandum, & illis potest legari, qui possunt hæredes institui; fallit tamen in Religiosis minoribus, quibus, etsi non possint



possint hæredes institui, potest aliquid pro alimentis, vel necessitatibus suis legari.

Testibus testamenti potest aliquid legari, sed cautè procedet Notarius, si alium in hoc casu testem adhibeat; & similiter ipso Notario legari potest; si tamen legatum subscribat specialiter ipse testator, & si nescierit legatum, recitet coram testibus, qui deinde mortuo testatore, coram Judice tale legatum cum juramento affirmant.

Legatarii debent esse certi, & declarati nomine, cognomine, & agnomine, nisi sint pauperes Jesu-Christi, qui licèt incerti, legatum consequuntur favore pietatis.

Legari possunt omnes res, quæ à commercio non eximuntur, non solùm præsentēs, sed & futuræ, vel quæ esse sperantur, dummodo possibiles sint, & etiam res aliena; sub hac tamen differentia, quòd si testator scivit rem legatam esse alienam, valet legatum, & præsumitur hæredem gravare voluisse ad illam redimendam, vel saltem ad illius æstimationē præstandam legatario; si verò testator ignorabat, rem legatam esse alienam, ipsamque ut propriam legavit, non valet legatum, & hæres ad nihil tenetur.

Legatum debet continere speciem certam, quantitatem, vel factum, & potest fieri purè, in diem ex die, vel sub conditione.

Potest fieri purè, hoc est simpliciter, non apposita die, neque conditione.

*In diem*, v. g. lego Joanni fructus T. vineæ per decem annos, à die obitus mei computandos,

*Ex die*, v. g. lego Joanni T. vineam post decem annos, à die obitus mei computando.

*Sub conditione*, v. g. lego Joanni decem libras, si funus corporis mei sua præsentia cohonestaverit. Conditio tamen debet esse possibilis, & honesta, quia turpis, & impossibilis pro non adjecti censetur.

Et quia conditio est *quidam futurus eventus, in quem dispositio suspenditur*, exinde resultat dubium: an legatarius legatum consequatur pendente conditione? cui dubio videtur cum distinctione esse respondendum; si conditio potestativa est affirmativè concepta, v. g. lego Joanni T. libras, si hæredi meo talem equum donaverit, non nisi verificata conditione legatum consequetur Joannes; si verò conditio potestativa est negativè concepta, v. g. lego Joanni T. libras, si Theatrum non ingrediatur, quia hæc conditio verificari non potest, nisi morte sequuta Joannis, isto enim vivente, possibile est mane, vel cras ingredi Theatrum, poterit Joannes consequi legatum, præstita tamè prius ab ipso cautione *Muciana*, de durante vita Theatrum non ingredi, & si fecerit, de restituendo legatum; & appellatur hæc cautio *Muciana*, quia à *Mucio* fuit inventa.

Legatum factum uxori, vel alicui creditori, fulciendum est cum hac cautela, scilicet, quòd non computetur in sortem dotis, vel crediti, quam, vel quòd aliàs habet legatarius in bonis legantis, nam si omittantur, assumetur in rata dotis, vel crediti.

Quando legatur usufructus, dicendum est, quòd legatur plenus, & integrus, taliter quod non solum importet alimenta, sed totum integritèr usufructum; sed legatario usufructus non potest remitti per legantem cautio, per dispositionem Senat. Consult. hæredi præstanda, etiamsi legatum usufructus sit factum per virum uxori, & è contra, quia *si usufructus bonorum omnium testamento uxoris marito relictus est, quamvis cautionem ab ipso prohibuerit exigi, tamen non aliter à debitoribus solutam pecuniam accipere poterit, quam oblata, secundum formam Senat. Consult. cautione:* potest tamen testator, seu legans gravare hæredi; quod acceptet quamcumque cautionem, quam legatarius duxerit præstandam, omni contradictione remota, & hac forma suffragatur legatario super satisfactione.

Si Filio familias legatur usufructus alicujus rei, & filius præmoritur, patre superstite, non finitur usufructus, quia videtur intuitu patris relictus, & iste casus est specialis, in quo morte usufructuarii non finitur usufructus.

## §. II.

## D E F A L C I D I A.

**C**UM Falcidia ex legatis adveniat, ideò hìc illam breviter adduco, & est: *Quarta pars hereditatis que hæredi instituto salva retinetur.*

Hoc beneficium competit hæredi per *Leg. Falcid.* quando legata excedunt tres partes hereditatis, ita ut potest detrahere de legatis, & eorum quolibet prorata, illud

illud quod sibi deest ad quartam integram habendam, siue hæres sit suus, siue extraneus aut unus, vel plures.

Hujus quartæ Falcidiæ detractio potest per testatorem prohiberi, ita ut cogatur hæres contentus esse eo, quod superest post soluta legata, quæ prohibitio sequentibus verbis, quæ sunt valdè necessaria, est fulcienda, scilicet: *Sciens vires patrimonii mei, expressè prohibeo hæredi meo detractiorem Falcidia &c.*

### §. III.

#### DE MANUMISSORE.

**M**anumissorse sunt illi, qui à testatore legitimè sunt nominati, vel à jure constituti, ad voluntatem testatoris exequendam.

Ex qua diffinitione sequitur, quòd manumissores alii sunt legitimi, & alii sunt testamentarii.

*Legitimi* sunt illi, quibus à lege tribuitur potestas ultimæ voluntatis defendendæ, ut non invertatur, seu procrastinetur, quales sunt Magistratus, & præsertim Domini Episcopi in causis piis.

*Testamentarii* sunt illi, quos testator deputavit, ad exequendam voluntatem suam.

Manumissores testamentarii, alii sunt universales, & alii particulares.

*Universales* sunt, qui gerunt vices hæredis, eo quia testator nullum in specie hæredem instituit, sed Dominum Deum, & ipsius testatoris animam, vel aliquam causam piam.

*Particulares* verò sunt, qui simul cum hærede in testamento scribuntur, & alicujus rei dumtaxat executio ipsis mandatur, ut pia legata, funera, & similia, & isti dicuntur *mere executores*.

Universales manumissores possunt vèdere omnia bona defuncti, quia istius habent voces activas, & passivas, & in venditione rerum immobilium debent pro cedere cum formatione tabbæ, & curritoris subhastatione per triginta dies, & plus danti liberatione, & non possunt ad creditum vendere, sed cum pecunia de præsentì.

Nemo cogitur ad officium manumissoris suscipiendum, nam non debet ille gravari, qui non suscipit commodum ex testamento.

## §. IV.

## D E T U T E L A.

**T**utela est: *Vis, atque potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, à Jure Civili data, atque permissa.*

## EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *vis*, ad denotandum, quòd tutela est violenta, tam ex parte pupilli, quàm ex parte tutoris, qui cogitur acceptare, nisi legitimè excusetur.

*In capite libero*, quia tam persona pupilli, quam persona tutoris debet esse libera.

*Ad tuendum*, quia principale officium tutoris debet versari circa utilitatem pupilli; ideòque datur tutor, ad tuendum, vel custodiendum.

*Qui propter ætatem*, ad differentiam curatoris, qui datur furiosis, & mente-captis, qui propter morbum se juvare non possunt.

*A Jure Civili &c.* quia tutela à Jure Civili inventa fuit.

Triplex est tutela, testamentaria scilicet, legitima, & dativa.

*Testamentaria* est, quæ datur à patre in testamento.

*Legitima* est, quæ competit agnatis, & cognatis pupillorum secundum ordinem succedendi.

*Dativa* est, quæ datur à Judice, testamentaria, & legitima deficientibus, super idoneitate tutoris, legitima precedente inquisitione.

Tres sunt, qui possunt dare tutorem, scilicet pater, avus paternus (si non est medium inter ipsum, & nepotem), & Judex, mater verò non, quia non habet filios in potestate; sed tamen si filium sibi hæredem instituerit, poterit dare tutorem in rem, sed non in personam, hoc est, committere alicui administrationem bonorum.

Possunt dari in tutores patres, ac filii familias, & omnes alii, qui non sint prohibiti, prout sunt servus alienus, mente-captus, minor viginti quinque annis, mutus, surdus, cæcus, prodigus, profusus, & fœmina, nisi sit mater, vel avia.

Tutor testamentarius, licet à Jure Communi solum in testamento, vel codicillis testamento confirmatis dari possit, tamen in Cathalonia per *Constitutionem Domini Regis Petri Tertii*, potest dari in quacumque ultima vo-

luntate, & nulla eget Judicis confirmatione.

Officium tutoris est, pupillum in Dogmatis Catholicis, atque politicis instruere, quia non tantum bonis, sed etiam personis, loco patris assignatur; unde dicitur: *Plus debere nos illis, à quibus instructi sumus, quam parentibus, à quibus progeniti, quia à parentibus tantum accipimus, ut vivamus, & ab instructoribus, ut bene vivamus*: tenetur etiam inventarium facere, de utilia pupilli procurando, & inutilia vitando jurare, rationem reddere finita tutela, non autem tenetur satisfacere, nec cavere (intellige hoc de tutore testamentario) quia satis fuit à testatore approbata.

Legitimi verò, & dativi tutores, ultra prædicta, debent petere administrationem sibi à Judice decerni, ac legitimè cavere, vel satisfacere.

Redditio computi, vel rationis intutore, finita tutela, adeò indispensabilis est, ut etsi testator legaverit tutore totum illud, in quo contingerit cum condemnari, minimè valet.

Finitur tutela morte tutoris, vel pupilli, adveniente pæbertate, si pupillus arrogatur, vel deportatur, si datus sit sub conditione, ipsa eveniente, maxima, vel media capitis diminutione tutoris, finito tempor, si tutor datus sit ad certum tempus, quia *limitata causa, limitatum quoque producit effectum*.

Excusatur tutor à tutela, causis, & rationibus contentis in his versibus.

*Excusant nati, fiscus, cum absente, potestas, Lis, & onus curæ, paupertas, & valetudo, Miles, hebes, hostis, doctor, majorque, minorque.*

### EXPOSITIO DICTARUM CAUSARUM.

- 1 *Nati*, id est, propter multos filios.
- 2 *Fiscus*, vel qui res fisci administrat.
- 3 *Absens*, id est, qui habet Reipublicæ causa.
- 4 *potestas*, hoc est, qui habet potestatem, vel publicum officium in Republica.
- 5 *Lis*, scilicet propter litem cum pupillo.
- 6 *Cura*, si curam alicujus aliàs habuerit.
- 7 *Paupertas*, si tutor sit pauper, ita ut se alere non possit.
- 8 *Valetudo*, id est, firmus, quis non potest suis interesse negotiis.
- 9 *Miles*, qui armis, & non legibus vacare debet.
- 10 *Hebes*, id est, rusticus, & litterarum ignarus.
- 11 *Hostis*, hoc est, si tutor sit inimicus testatoris, vel pupilli.
- 12 *Doctor* in quacumque facultate.
- 13 *Major*, id est, septuagenarius.
- 14 *Minor* viginti quinque annis.

Excusatio est à tutore proponenda intra quinquaginta dies, à die, qua scierit se tutorem nominatum fore computandos, qui terminus potest augeri secundum distantiam loci, in quo habitat ipse tutor.



§. V.  
D E C U R A.

**C**urator est: Ille, qui datur à Judice, vel à lege, liberis puberibus, interdum invitis, nec non majoribus viginti quinque annorum, furiosis tamen, mente captis, mutis, prodigis, & perpetuo morbo laborantibus, causæ, rei, ventri, bonis absentis, & indefensi, ac operibus publicis, aliquandò cum idonea cautione, & semper cum juratorie præstanda.

EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur ille, & non illa, quia mulier curatrix esse non potest; nam officium curæ est civile, & mulieres à civilibus oneribus repelluntur, propter sexus inconstantiam.

*A Judice, vel à Lege*, quia omnes curatores dantur à Judice, nisi furioso, & prodigo, quibus dantur à Lege.

*Puberibus*, quia masculis majoribus quatuordecim annis, & fæminis duodecim, usque ad vigesimum quintum annum, regulariter dantur curatores.

*Nec non majoribus &c.* quia etiam majoribus assignatur aliquandò curator, si propter morbum, vel aliàs se defendere nequeunt, ut sunt illi in diffinitione suprâ nominati.

*Causæ*, quia si pubes habet litem, datur ei (etiam invito) à Judice curator.

*Rei*, quia ad unâ rem tantum etiam potest dari curator.

*Ventri*, nam quando mulier est prægnans, vel se esse dicit, datur curator ventri, & non tutor.

*Operibus publicis*, quia ad opera publica facienda da-

tur quandoque curator, qui sollicitet, & curet, quòd opus illud compleatur.

*Cum idonea cautione*, quia aliquandò curatores, præsertim si sunt generales, & sine inquisitione dati, firmannt fidejussoriã cautionem de rem adulti salvã facere.

*Sæper cum juratoria*, quia saltem cum juramento quilibet curator cavere tenetur.

Curator dicitur à cura, quam habere debet illius, cui est assignatus, & dari possunt ab illis, qui possunt dare tutores, etsi datur à patre in testamento, nihilominus à Judice est confirmandus, citra tamen inquisitionem.

Curatores esse possunt illi, in tutores admittuntur, & ex eisdem causis excusantur, quibus tutores.

#### §. VI.

### DE INVENTARIO.

**I**Nventarium est: *Bonorum omnium publicè facta descriptio*, à tutore, curatore, vel hærede confectum, solemnitate Juris debita concurrente.

#### EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *bonorum omnium*, quia omnia bona defuncti debent in inventario describi, scilicet mobilia, & immobilia, ajura, actiones, nomina debitorum, & omnia alia in illius hæreditate inventa.

*Publicè facta descriptio*, quia publicè debet fieri, vel à publica persona, hoc est, à Notario.

*A tutore*, nam tutor cogitur facere inventarium, si ve sit testamentarius, si ve legitimus, si ve datibus.

*Vel*

*Vel curatore*, quia aliquandò curator cogitur facere inventarium, ut quando est generalis ad negotia, vel quando datur bonis absentis.

*Vel hærede*, quia hæres etiam aliquando inventarium facere tenetur, ut quando est rogatus de restituenda hæreditate, vel quando vult beneficia conficiendis inventarium concessa gaudere.

*Solemnitate juris* &c. nam multæ solemnitates in Jure Communi requiruntur in inventario; sed in hoc Principatu Cathalonix solum fit per publicum Notarium extra judicium, excepta hac Civitate Dertusæ, in qua servatur hæc forma.

Qui vult conficere inventarium, venit ad judicium, & denuntiat Judici, se inventarium de bonis alicujus defuncti conficere velle, eique supplicat, quatenus omnes creditores, vel alios interesse prætendentes in bonis defuncti per publicum præconium citari faciat, ad videndum confici inventarium, quo præconio, per Judicem proviso, & per publicum Tubicinam per loca solita, & assueta Civitatis, cum loci, diei, & horæ assignatione, publicato, Tubicina, medio juramento in sui officii ingressu præstito, attestatur de publicatione, de quibus omnibus debet Notarius mentionem facere in exordio inventarii, taliter quod si hæc solemnitas deficit, non valet inventarium in hac Civitate Dertusæ, prout in judicio declaratum vidi, & in appellatione confirmatum, ea de ratione, quia *inventarium confici debet juxta mores Regionis, in qua illud conficitur.*

Ety-

Etymologia inventarii est, quod dicitur ab inventio-  
ne, nam omnia inventa debent poni in inventario.

Mulier vidua tenetur facere inventarium de bonis ma-  
riti, pro conservatione jurium dotalium, & pro fruitione  
tenutæ, quæ per constitutionem *Hac nostra* ipsi conceditur.

Hæres inventarium legitime conficiens, nullatenus  
tenetur legatariis, & creditoribus ultra vires hæreditatis,  
& consequitur Trabellianicam, & Falcidiam, quas amit-  
tit non conficiens in Cathalonia, per *Constitutionem Cu-  
rriarum anni 1599. quæ est 28. incipientem: Per evitar &c.*

Tutor, & Curator tenentur facere inventarium ante-  
quam administrare cœperint; hæres autem, & vidua de-  
bent inchoare inventarium intra triginta dies à die aditæ  
hæreditatis, & finire intra alios sexaginta, ita quod ha-  
beant tres menses.

Praxis est, & valdè utilis, quòd in exordio inventarii  
apponatur Sanctæ Crucis signum, & in fine protestatio  
conficientis, asseverantis, omnia defuncti bona sibi nota  
continuasse, & quòd à catero innotum ventura supe-  
raddet.

*Nota*, quòd semper, & quando vidua conficiat inven-  
tarium, & si utatur nomine tutricis, usufructuariæ, vel  
alio, numquam omitas nomen tenutæ, in vim Constitu-  
tionis *Hac nostra*, quod ipsi est semper favorabile.

CAPUT III.  
DE HÆREDUM INSTITUTIONE.

Continet quinque Paragraphos.

- |                            |  |   |                                   |
|----------------------------|--|---|-----------------------------------|
| 1 De institutione hæredum. |  | 4 | De Trabellianica.                 |
| 2 De hæredum qualitate.    |  | 5 | De exhæredatione, & præteritione. |
| 3 De Legitima.             |  |   |                                   |

§. I.

DE HÆREDUM INSTITUTIONE.

**H**æredum institutio est: *Aliquem loco sui, post mortem suam, in omnibus bonis suis æquẽ dominũ constituere.*

EXPOSITIO DIFFINITIONIS.

Dicitur *aliquem*, id est, habilem, & idoneum ad existendum hæredem.

*Loco sui*, quia hæres representat personam defuncti.

*Post mortem suam*, nam testamentum non habet vires, nisi obitu Testatoris secuto.

*In omnibus bonis suis*, quia institutio hæredis debet esse de universo patrimonio.

*Æquem dominum constituere*, nam hæres efficitur per institutionem, ita dominus, sicut vivens erat testator, & ex his patet, quòd hæreditas est *successio in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis sue.*

Hæredis institutio alia est *directa*, cum qua recto jure aliquis instituitur, & hæreditatem capit nullo mediante; alia est *obliqua*, cum qua non recto jure aliquis instituitur, sed aliquo mediante capit hæreditatem, inter quas magna

Ee

est

est differentia, nam illa, scilicet directa, solum fieri potest in testamento, obliqua verò in testamento, & codicillis.

Item etiam hæredis institutio, alia est *propria*, ut cum quis instituitur in universo patrimonio; alia est *impropria*, ut cum filius instituitur in legitima; & alia est *impropriissima*, ut quando instituto hærede universali, alius instituitur in re certa.

Hæredis institutio fit duodecim modis, sequenti forma explicatis.

1 *Verbis directis*, ut tu mihi hæres esto, quæ verba directa solum fiunt in nominativo casu.

2 *Verbis influxis*, ut te hæredem instituo, nam inflexa dicuntur verba in omnibus casibus, præter nominativum.

3 *Ad tempus incertum*, ut instituo hæredem uxorem meam quandiu vixerit.

4 *Ex incerto tempore*, ut post mortem uxoris meæ, Titium instituo; & hæc nota, quòd ad certum tempus, & ex certo tempore institutio fieri nequit.

5 *Purè*, ut Titium mihi heredem instituo.

6 *Sub conditione*, ut Titium mihi hæredem instituo, si filiam meam in uxorem duxerit, quæ quidem conditio alia est *potestativa*, quæ pendet ex potestate instituti; alia *causalis*, quæ pendet à causa; & alia *mixta*, quæ utrasque continet; sed tamen istæ tres conditiones solum locum habent in extraneo constituto, quia suo, & necessario hæredi, solum potest apponi potestativa.

7 *In universo*, ut in omnibus bonis meis Titium hæredem meum instituo.

8 *In certa parte*, ut in quarta parte bonorum meorum talem mihi hæredem instituo, & debet exprimi quanta sit pars; aliàs de dimidia intelligeretur.

9 *In re, vel quantitate certa*, ut in tali domo, vel in centum libras Titium mihi hæredem instituo, & tunc ita institutus non habet onus æris alieni, quia loco legatarii habetur, licèt non merè legatarius sit, sed species per se, quæ partim capit de natura legati, & partim de natura institutionis.

10 *Pluribus hæredibus, partibus non expressis*, nam possunt institui plures simpliciter, id est, partibus non expressis, & tunc æquis portionibus veniunt instituti.

11 *In capita*, ut Petrum, & Joannem filios meos hæredes instituo.

12 *In capita, & stirpes*, ut Petrum, & Joannem filios meos in capita, & Benedictum, & Antonium nepotes meos in stirpes, hæredes instituo, ita quòd tantum habeat quilibet filius, quantum ambo nepotes.

Personæ hæredum debent esse certæ & determinatæ, ac etiam declaratæ nomine, cognomine, & agnomine, nam si errata fuerit hæredis institutio, totum per consequens corruet testamentum, cum istius sit illa fundamentum, nisi fortè hæredes sint pauperes Jesu-Christi, vel Captivi Christiani, qui pietatis gratia, etsi expressè non sint nominati, hæreditatem habebunt.

Non potest hæredis institutio ex alieno arbitrio dependere, ut si quis dixerit, instituo hæredem, quem Petrus voluerit; benè verò fieri potest hæc institutio, videlicet, instituo hæredes filios meos, illum, vel illos, quem, seu quos uxor mea (vel alia certa persona) nominaverit, quia tunc non institutio, sed solum nominatio, vel electio pendet ab alieno arbitrio.

Institui non possunt in hæredes, deportatus in insulam propter delictum, quia amissit ea, quæ sunt Juris Civilis, damnatus in metallum, quia quasi servus efficitur, damnatus ad mortem, hæreticus Baptismatis iterator, Apostata, Collegia illicita, spurius testatoris, personæ incertæ, regulariter, & servus accusatus de adulterio cum domina sua.

*Nota:* quòd hoc verbum instituo in ultima voluntate, etiamsi sit in legatis, operatur, quod si hæres repudiaverit hæreditatem, quo casu corruunt omnia de testamento poterit nihilominus legatarius, virtute hujus verbi instituo, rem legatam adire, vel habere, & nedum legatum, verum, & etiam aliquando poterit habere omnem hæreditatem, quia fieret hæres in totum, quod tunc continetur in parte: unde adductam fore judico laudabilem consuetudinem scribendi in fine legati, præsertim filio facti, hæc clausula: *En lo qual llegat à mi hereu particular lo fas, è instituescb.*



## §. II.

## DE HÆREDEM QUALIATE, ET DIFFERENTIA.

**H**æredes alii sunt sui, & necessarii, alii sunt necessarii tantum, & alii sunt voluntarii, & extranei: *Sui*, & *necessarii* sunt filii in potestate patris testantis tempore istius mortis existentes, qua ratione dicuntur sui, & appelluntur necessarii, quia ex necessitate juris sunt instituendi: *necessarii tantum* sunt servi à domino instituti, nam si servus proprius instituitur, tenetur hæreditatem etiam suspectam adire, sed per illam efficitur liber, & debet institui, ad differentiam servi alieni, qui instituitur sub conditione, id est, cum liber fuerit, *voluntarii*, & *extranei* hæredes sunt, qui non existunt in potestate Testatoris, & isti sunt collaterales, & omnes alii de mundo, ac etiam filii testatoris, si forte sint emancipati.

Linea descendendum, qui sunt filii, nepotes, proneptes, & abneptes, vindicat sibi primum locum in successione, nam testator, si aliquem habet de descendibus, non cogitur instituere ascendentes, quia prima causa successionis est liberorum, unde venit illud vulgarissimum axioma: *filius ergo hæres*; nam filius naturaliter, & ex juris dispositione censetur eadem persona patris, propter patrem, & substantiam, quam ab ipso in generatione recepit, ex qua naturali conjunctione filius dicitur habere quandam suitatem, & idemptitatem in persona patris, & bonis ejus, quia suitas est: *Quoddam jus, ex naturali conjunctione, & patria potestate productum, domini bono-*

rum continuationem ad descendentes proximos post mortem immediatè deducens; sed in defectu descendentium cogitur testator instituere ascendentes, qui sunt pater, vel mater, avus, vel avia, istisque deficientibus, non cogitur instituere transversales, seu collaterales.

Liberi, alii sunt primi gradus, & isti aut sunt masculi, foeminae, in potestate, emancipati, nati, & posthumi, & alii sūt secūdi gradus, ut nepotes, proneptes & abnepres.

Debet Testator pater, vel mater filios suos legitimos & naturales, tam masculos, quàm foeminas, virgines, nuptas, viduas, religiosas, emancipatos, vel in potestate existentes instituere, vel ritè exhæredare, aut præterire, alioquin inutiliter testabitur; sed tamen licèt institutio non sufficiat ad legitimam, nihilominus valet testamentum, & tunc institutus aget ad supplementum.

Et quia posthumi nullam exhæredationis causam committere possunt, de necessitate sunt instituendi, & non solum dicitur posthumus strictè, qui in vita testatoris conceptus est, & post ejus mortem natus, sed etiam largè, qui post testamentum, & patre vivente, nascitur, licèt, etymologia posthumi sit à *post*, & *humo*, hoc est, *posthumato patre natus*.

Si Testator habet filium, vel filiam, & ex eo, vel ea nepotes, satis est si instituat filium, vel filiam, quia de nepotibus non opus est facere mentionem, cum præcedat eos pater, vel mater; sed si testatori est, inportuus filius, vel filia, tunc opus est de nepotibus facere mentionem,

quia

quia in loco patris jus succedendi sibi vendicant; & idem est intelligendum de cæteris liberis, nam remoto capite præcedenti, sequens debet institui; unde præmortuo filio, & nepote, pronepos natus instituendus est, sicuti etiam posthumus nepos, & cæteri ulterioris gradus.

Et si contingat, quòd post factum testamentum, filius institutus moriatur, vivente patre testatore, & iste postea decedat, nullo alio testamento condito, reponitur nepos in loco patris, & efficitur avo hæres suus; sed quia in testamento tunc hæres scriptus non invenitur, rumpitur testamentum, contra quod periculum habemus consilium *Legis Vallejani*, quo utitur duobus modis, uno scilicet: Titium filium meum, & eo præmoriente, nepotes meos ex eo natos mihi hæredes instituo; altero scilicet: Dimitto cuilibet ex filiis, & nepotibus meis natis, & nascituris jure institutionis tot libras, in quibus eos mihi hæredes instituo.

Ita aliter necessarium est, quòd pater de filio mentionem faciat in testamento, ut etsi filius dicat patri: Nolo esse hæres vester, & hoc remisserit patri suo, nihilominus tenetur pater de filio mentionem facere in testamento, aliàs rumperetur testamentum.

Pater arrogans, & avus nepotem adoptans, si tempore mortis habent in eorum potestate filios legitime adoptatos, vel arrogatos, istos instituere, vel legitime exhæredare tenetur, ac si essent legitimi, & naturales; si verò tempore mortis essent emancipati, non tenentur,

quia

quia tamquam extranei reputantur, eo quia jus, & nomen filii, quod per adoptionem, & arrogationem consequuti fuerant, alia civili ratione, hoc est, per emancipationem perdididerunt.

Filios naturales tantum non tenetur pater instituire, sed si vult, & habet filios de legitimo matrimonio, solum potest naturales in una uncia, hoc est, in duodecim suorum bonorum parte instituire, & filios de legitimo matrimonio in reliquo instituire debet; si verò non habet filios de matrimonio, neque ascendentes, tunc potest in totum filios naturales instituire, & per consequens filius naturalis solum potest eisdem modis, & tantundem relinquere patri naturali, ut par pietas inter eos fervetur.

Mater autem, & ascendentes lineæ maternæ tales liberos naturales instituire, vel ritè exhæredare tenentur, ac si essent legitimi & naturales, nisi mater esset illustris, & pari passu filii naturales instituire debent matrem, & ascendentes perlineam maternam.

Nec legitimi, nec naturales filii, ut sunt spurii, incestuosi, nepharii, & adulterini, nullo modo institui possunt nec à patre, nec à matre, cum nec filii sint nominandi, & per Jus Civile omni legis auxilio sint destituti, solum tamen ex Juris Canonici benignitate, ipsis sunt alimenta præstanda, proptereaque pater potest eis aliquid alimentorum causa legare.

Deficientibus liberis, necessariè tenetur testator instituire ascendentes, vel ritè exheredare, nulla inter pater-

nos, vel maternos habita differentia, salva tamen gradus prærogativa, ut primò parentes, & istis non existentibus, de inde avos instituat, & sic de cæteris, ut dictum est de descendentibus secundi gradus.

## §. III.

## D E L E G I T I M A.

**L**egitima est: *Quædam portio, quæ debetur cuilibet descendenti, & in ejus defectu cuilibet ascendenti.*

Parentes nullo modo filius gravare possunt in legitima, quia ipsis debetur jure naturæ, & pater eam non dat, sed solvi filio, & si institutio facta filio non sufficit ad portionem filio pro legitima competentem, tunc hæres tenetur ad supplementum.

Legitima consideratur tempore mortis testatoris secundum facultates, seu bona illius, & fit ejus æstimatio deducto ære alieno, & funeris impensis, & potest in pecunia persolvi, vel cum proprietate immobili, optione hæredi reservata.

Est autem legitimam quarta pars totius hæreditatis defuncti, ita quod supersint hæredi tres hæreditatis partes, & reliqua quarta pars dividitur jure legitimæ inter omnes filios, ad legitimam concurrentes.

Nepotes verò tenentur computare in ratam legitimæ avorum suorum quidquid parentibus eorum datum fuerit.

Non me latet, quòd in hac Civitate Dertusæ habemus cõsuetudinem scriptam super cõputatione legitimæ, disponẽtem idem, quod in illo veteri vulgari versu continetur, nempè.

*Quatuor, aut infra dant natis jura tricenstem.*

*Pluribus, aut supra dant natis jura semissem.*

Sed tamen, cum in tota Cathalonia habemus jus municipale, contentum in *Constitutione Gen. Cath. tit. 5. lib. 6. per tot.*, statuens, legitimam esse tantummodò quartam partem, ut prædixi, etiamsi liberi magis quàm quatuor sint, & non sit meum de validitate consuetudinis contra Constitutionem dicere, neque ad Notarios minimè attineat Jurisperiti disceptabunt.

§. IV.

D E T R A B E L L I A N I C A.

**T**rabellianica est: *Quedam portio, quæ debetur cuilibet instituo de restituendo gravato, & quidem meritò, ne frustra nomen gester hæredeis*

Detractio quartæ Trabellianicæ non solùm competit filio de restituendo gravato, sed etiam cuilibet hæredi extraneo, ita quod si hæres gravatus sit filius testatoris, utrasque detrahet, legitimam scilicet, & trabellianicam, quia cum in legitima jure naturæ gravari non possit, in reliquo gravatus videtur, & eo nomine trabellianicam detrahet.

Est etiam Trabellianica quarta pars totius hæreditatis defuncti, quæ superest, soluto eræ alieno, & funeris impensis, & deducta legitima, si fortè est deducenda.

Hujus Trabellianicæ detractio potest à testatore prohiberi, & valet prohibitio, præmaximè si fulciatur sequenti, & ferè usitata cautela: *Sciens, & non ignorans*

*vires patrimonii mei, expresse prohibeo dicto T. heredi meo, & suis detractionem Trabellianica &c.*

Ita pariter potest testator prohibere alienationem, sed si ad tempus prohibet, valet prohibitio, etiamsi facta sit simpliciter, & sine causa, cum tamen adjiciatur pence; sed si ad in perpetuum prohibet, debet fieri prohibitio cum causa certa, continente intuitum aliquarum rerum, vel personarum, aliàs tamquam nuda, non valeret.

Ex prædictis patet, quòd sicut Falcidia de legatis, ita ex hæreditate detrahitur Trabellianica, unde vulgaris hic versus

*Tunc defalcaris, cum per legata gravaris.*

*Tunc trabellierius, cum reddere cuncta juberis.*

§. V.

DE EXHÆREDATIONE, ET PRÆTERITIONE.

**E**xhæredare est: *Ab hæreditate exclusio expresse, & solemniter facta*; unde exhæredare nihil aliud est, quàm exhæreditate deponere, vel alienum facere eum, qui ad hæreditatem legitimè vocabatur.

Præteritio est: *Silentium circa institutionis beneficium, & exhæredationis odium*; nam præterire nihil aliud est, quàm neque admittere, neque excludere eum, qui ex jure erat successurus, sed silentio omittere.

Exhæredatio, & præteritio solum descendentes, & ascendentes respiciunt, hoc est, eos, quibus omninò hæreditas debetur, & qui etiam contra testamentum, ad hæreditatem admittuntur, quare collateralibus otiosa est exhæredatio, cum nullum contra testamentum, jus habeant in hæreditate.

Ut valeat exhæredatio, debet fieri purè, & non sub conditione, expressè in testamento, universaliter de tota hæreditate, & non in parte, & cum causa legitima.

Causæ verò legitimæ, per quas liberi exhæredantur à parentibus, sunt quatuordecim, in sequentibus quatuor disthictis contentæ

*Ex septem his causis non est filius hæres :*

*Si patrem lædit, vel maledicit ei,*

*Carcere detentum si negligit, ac furiosum,*

*Criminis accusat, vel parat insidias,*

*Si præbet damnum, vel non captum hoste reducit,*

*Testari prohibet, vel dat arena locum,*

*Si pravos sequitur, vel amat genitoris amicam.*

*Non orthodoxus, filia quando coit.*

Parentes autem exhæredantur à filiis ex septem de causis, quas explicant duo sequentes disthicti.

*Sed pater ex septem, si nati spernit honores,*

*Si accusat filium, dira venena facit,*

*Testari vetat, aut uxorem diligit ejus,*

*Non redimit captum, dum farit odi eum.*

Explicationem omitto dictarum causarum, quia hæc materia est odiosa, & non est adjuvanda, præmaximè in testamentis, quorum objectum (ut dixi) est æternitas, unde præexcelsus Ecclesiæ Doctor Divus Augustinus hanc scripsit sententiam: *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, imò Deo propitio neminem inveniet.*



Liceat his mihi superaddere: Imo, Deo propitio, neminē inveniet Notariū, qui talem exhæredationem conficiat. Tritum est enim in Jure, quòd odia sunt restringenda, sicque Notarius, etsi rogatus ad exhæredationem conficiendam, cautè differat, ut exhæredanti locus sit pœnitentiæ.

Nota, quòd quando hæres suus non vult hæreditatem, dicitur ab ea se *abstinere*, & si vult, dicitur se *immiscere*: si hæres extraneus non vult hæreditatem, dicitur *repudiare*, & si vult, dicitur *adire*; unde *immiscere*, vel *abstinere*, est suorum, *adire* verò, vel *repudiare*, extraneorum est hæredum, & quando hæres suus se abstinet ab hæreditate, consultum est ut inde fiat scriptura, in qua ipse hæres sibi retineat legitimam, suorum jurium sibi in hæreditate aliàs competentium salvitatem faciat.

CAPUT IV.  
DE SUBSTITUTIONIBUS.

Continet sex Paragraphos.

- |                                |  |                   |
|--------------------------------|--|-------------------|
| 1 De substitutionib. in genere |  | 4 De Exemplari.   |
| 2 De Vulgari.                  |  | 5 De Breviloca.   |
| 3 De Pupillari.                |  | 6 De compendiosa. |

§. I.

DE SUBSTITUTIONIBUS IN GENERE.

**S**ubstitutio est: *Secundaria*, & *conditionalis hæredis institutio*, nam etsi in millesimo gradu sit posita semper sequitur primam institutionem, & semper fit sub conditione, & dicitur *substitutio*, quasi sub institutione posita.

Du-

Duplex est substitutio, alia obliqua, & alia directa; *obliqua*, vel fideicommissaria est illa, qua quis non per se, sed per alium, vel alio mediante, capit hæreditatem, & fit duobus modis, scilicet *ad inperpetuum*, ut Antonium mihi hæredem instituo, & quodcumque decefferit sine liberis, Petrum substituo; *Ad certum tempus*, ut Antonium mihi hæredem instituo, & si decefferit sine liberis hinc ad 25. annos, Petrum substituo; & dicta obliqua, seu fideicommissaria substitutio fit in testamento, codicillis, & donatione causa mortis, & à quolibet testatore, & cuilibet hæredi, sed expirat, si substitutus præmoriatur instituto.

*Directa* verò substitutio est illa, per quam quis capit hæreditatem nullo mediante, ut Antonium mihi hæredem instituo, & si ipse non sit hæres, Petrus sit hæres, & solum in testamento fieri potest.

Verba, quæ considerantur respectu substitutionis, sunt tria, scilicet, *directa obliqua, & communia*: verba *directa* sunt, quæ sonant, ut substitutus per se capiat bona, & non per alium, ut hæres esto, dominus esto, & similia; *obliqua* sunt illa, per quæ testator mandat hæredi instituto, ut restituat, reddat, distribuatur, & similia, & omnia verba præcaria, ut rogo, volo, mando, & fideicommitto; *communis* sunt, quæ ad utramque significationem trahi possunt, ut pertineat, remaneat, revertat, resolvar, habeat, consequatur, & similia; sed tamen in hoc Principatu ista verba communia in substi-

turione pupillari per patrem filio facta habentur pro directis, juxta *Constitutionem*: *Los impubers, quæ est 2. tit. de pupillis, y alt. substit.*

Species substitutionum sunt quinque, scilicet vulgaris, pupillaris, exemplaris, breviloca, & compendiosa, quas vulgariter, ac simpliciter *sequens*. §§. explanabo, omissis disputationibus, & variis sententiis, quæ in tam vasta materia adducere possem, & pro faciliori Tyrunculorum intelligentia, in omnibus me habebo per exempla, *quæ rem sicuti digito ostendant*, trita enim est in sermone parcemia, quod *rectius docent specimina, quam verba.*

## §. II.

## DE VULGARI.

**D**icitur *vulgaris* substitutio, quia fit à quolibet de vulgo, & cuilibet de vulgo, dupliciter consideratur, alia est expressa, & alia tacita; *Expressa*, quæ verbis exprimitur, ut Antonium mihi hæredem instituo, & si ipse non erit hæres, quia noluerit, vel non potuerit, Petrum substituo, & hæc sunt verba negativa, respectu hæredis, & affirmativa respectu substituti.

In vulgari expressa considerantur verba generalis, specialia, & singularia; *generalia* scilicet, ut Petrum, & Antonium hæredes instituo, & eos invicem substituo; nam licet hæc non sint expressa verba vulgaris expressæ, nihilominus sunt expressa verbis generalibus in genere, & habet effectum vulgaris expressæ; *specialia* verba sunt illa, quæ constituunt propriam speciem substitutionis vulgaris expressæ,

pressæ , ut si Antonius non erit hæres , Petrus sit hæres; *singularia* verò , seu individua sunt illa , in quibus casus substitutionis vulgaris singulariter exprimuntur , ut si hæres non erit , quia noluerit , vel non potuerit , tacendo unum ex ipsis.

*Tacita* autem vulgaris substitutio est illa , in qua non sunt expressa verba negativa , sed tacitè intelliguntur , vi , & potestate legis , ut Petrum , & Antonium mihi hæredes instituo , & eos ad invicem substituo ; per hæc enim verba *ad invicem substituo* , tacitè intelligitur , quòd si unus ipsorum hæres non erit , quia noluerit , vel non potuerit , alter sit hæres , nam ipsa verba affirmativè sumuntur.

De natura vulgaris substitutionis est , quod expirat , seu infinitur statim , adita hæreditate sive tacita , sive expressa sit.

Effectus vulgaris substitutionis sunt septem : *Primò* , quòd vulgaris , expressa in uno casu , trahitur ad alium casum non expressum , ut si hæres esse nolit ; trahitur ad hunc , etiam non possit , etsi non exprimatur : *Secundò* , quòd de suo , & necessario faci voluntarium , nam ille , qui de necessitate debet esse hæres , per effectum vulgaris potest se immiscere , vel abstinere : *Tertio* , quòd illa verba , si hæres non erit , ampliantur , & subintelliguntur sic , scilicet , alium hæredem non fecerit ; nam si institutus decesserit ante aditam hæreditatem , hæres suus habet jus adeundi , vel repudiandi hæreditatem testatoris : *Quartò* , quòd testamentum , si destituatur à primo

institutionis gradu, quia hæres noluit, vel non potuit, tunc accipit vires à secundo gradu, hoc est, à substitutione: *Quintò*, quòd hæres suus minor repudians hæreditatem, poenitere potest, & intra tempus restituitur, excluso substituto, si tamen hæreditas est integra: *Sextò*, quòd vulgaris expressa continet pupillarem tacitam, nisi in aliquibus casibus, quos omitto, quia ad primam Tyrõnum informationem potius forent confusionis, quàm instructionis: *Septimò*, quòd ad substitutum perveniunt illa dumtaxat bona testatoris, quæ pervenire debeant ad institutum, qui noluit, vel non potuit esse hæres.

## §. III.

## DE PUPILLARI.

**P**upillaris substitutio est: *Illà, quæ à patre fit filio impuberi, in potestate sua constituto, in eum eventum, si impubes decesserit, & dicitur pupillaris, quia solum fit pupillis, & propter istorum in discretum consilium fuit inventa, & per consequens, adveniente pubertate, tollitur, & expirat.*

Duplex est etiam hæc pupillaris substitutio, expressa scilicet, & tacita; *Expressa* est illa, quæ fit verbis affirmativis, & de pupillari ætate mentionem habet, ut Antonium filium meum mihi hæredem instituo, & si ipse mihi hæres erit, & in pupillari hæritate decesserit, Petrum substituo; unde patet, quòd mentio pupillaris ætatis debet apponi dispositivè, ut in proximo exemplo, non autem demostretivè, ut si quis dixerit filio meo pupillo

talem substituo, quia hæc substitutio non erit pupillaris, quod tene mente, ut lites avertas.

*Tacita* pupillaris continetur in vulgari expressa, & non ex vi verborum, sed legis potestate censetur apposta, ut instituo filium meum impuberem, & si hæres non erit, & hæres erit, & intra pupillarem ætatem moriatur, Petrum substituo.

Ut sit pupillaris substitutio, requiruntur octo: *Primò*, quòd ille, cui fit, sit de liberis testatoris; *Secundò*, quòd sit impubes, id est, minor quatuordecim annorum; *Tertiò*; quòd sit in potestate testatoris substituentis; *Quartò*, quòd pupillus, cui substituitur, sit à patre vel institutus, vel exhæredatus; *Quintò*, quòd ipse pupillus efficiatur sui juris post mortem patris, & non in ullius potestate recidat, puta avi, vel proavi; *Sextò*, quòd non desinat esse in potestate ante mortem substituentis; *Septimò*, quòd pater sibi ipsi faciat testamentum, antequam faciat filio pupillo; *Octavò*, quòd patris adeatur hæreditas, quia hæreditate non adita, nihil valet quod in testamento scriptum est.

Ex quarto requisito resultat, quòd pater potest impuberes filios familias cum causa exhæredare, & ultra exhæredationem pupillariter substituere; sed adverte, quòd impubes exhæredatus debet esse proximus pubertati, quia tunc jam est doli capax, quæ quidem exhæredatio, & substitutio ita fiunt: *Antonium filium meum proximum pubertati, quia talem mihi commissit exhæredationis causam exhæredo, & si in pupillari ætate decesserit,*

*in omnibus bonis suis Petrum substituo.*

Effectus pupillaris substitutionis sunt sex: *Primò*, quòd pupillaris expressa continet vulgarem tacitam: *Secundò*, quòd substitutus impuberi descendenti infra pupillare tempus, fit directè hære testatoris, & pupilli, & capit bona utriusque, & etiam undecumque quæsitæ pupillo: *Tertiò*, quòd pater potest facere filio impuberi substitutum hæredem necessarium, sicut ipse sibi fecit: *Quartò*, quòd testamentum patris est testamentum pupilli, quoad causam efficientem, id est, testantem: *Quintò*, quòd annullato testamento patris, quoad institutionem ex causa exhæredationis, vel preteritionis, nihilominus substitutio pupillaris manet firma: *Sextò*, quòd pupillaris expressa excludit matrem à successione pupilli, & etiam omnem aliam personam, quæ ipso pupillo succedere potuisset ab intestato; & licèt per tacitã pupillare regulariter non excluditur mater à successione pupilli, sunt aliqui casus, in quibus etiam excluditur, & præcipuè quando pupillo substitutus est frater, nã tunc non admittitur mater, propter contrariam testatoris præsumptam voluntatem; sed tamen in Cathalonia, per expressam constitutionem, non potest pater substituere filio impuberi, ex bonis ipsi ex linea materna provenientiibus, alium quàm unum ex his, qui conjuncti sunt dicto pupillo ex parte matris, usque ad quartam gradum.

Expirat pupillaris substitutio sex modis: *Primò*, si pater deportetur: *Secundò*, si pater fecerit aliud testamentum: *Tertiò*, si non adeatur hæreditas patris ex testamen-

to: *Quartó*, si substitutus non sit capax in toto, vel in parte, ut si sit spurius: *Quintó*, per adventum pubertatis: *Sextó*, si filius impubes adoptetur, vel arrogetur ab aliquo.

## §. IV.

## D E E X E M P L A R I.

**E**xemplaris substitutio est *Illa quam parentes faciunt liberis suis adultis, vel majoribus, qui propter furorem, aut alium morbum testari non possunt,*

Dicitur *exemplaris*, quia ad exemplum pupillaris inducta est, & cum ista in omnibus ferè concordat, & solum ab ea differt in quinque: *Primó*, quòd pupillaris solum fit à patre, sed exemplaris, & etiam à matre: *Secundó*, quòd in pupillari requiritur patria potestas, in exemplari autem non: *Tertió*, quòd pupillaris solum fit pupillis, exemplaris verò adultis, & majoribus: *Quartó*, quòd in pupillari potest substitui quilibet, quem pater voluerit; in exemplari verò solum proximi, primo filii, secundò fratres, & postea quilibet alius: *Quintó*, quòd pupillaris expirat per adventum pubertatis, exemplaris verò per affecutionem mentis, & sanitatis.

Exemplariter substituitur filiis legitimis, & naturalibus, & legitimis tantum, à patre scilicet, à matre verò filiis etiam naturalibus tantum, futuro tamen, aut alio morbo perpetuo abusualiter correptis, ut sunt mente-capti, fatui, miti, surdi, furiosi, & prodigi.

Forma exemplaris substitutionis est hæc: *Antonium filium meum furiosum, vel mente-captum mihi heredem instituo,*



*stituo, & si ipse decefferit antequam ment sanus fiat, tales ejus filios, vel talem ejus fratrem, vel talem extraneum substituo.*

Effectus exemplaris substitutionis est, quòd in exemplari expressa continetur tacita vulgaris; nam si institutus in furore decedat, non erit hæres; & etiam, quòd bona patris, & filii ad substitutum perveniunt, matre tamen non exclusa.

Expirat, & finitur cessante furore, & si ille, cui substituitur, liberos acquiritur durante furore.

## §. V.

## D E B R V I L O C A.

**B**Reviloca, seu reciproca substitutio est: *Illa, quæ fit à parente generis masculini, duobus, vel pluribus liberis impuberibus, in potestate existentibus instituitis, vel exhæredatis.*

Appellatur breviloca, quia sub ejus brevitate continentur quatuor saltem substitutiones, hoc est, duæ vulgares expressæ, & duæ pupillares, & dicitur reciproca quia fit reciprocatio de uno substituto in alium.

Ex prædicta diffinitione infertur, quòd ut sit breviloca, requiruntur sex: *Primò*, quòd fiat à patre, & non à matre: *Secundò*, quòd instituti sint duo, vel plures: *Tertiò*, quòd sint de liberis testatoris: *Quartò*, quòd omnes sint impuberes: *Quintò* quòd omnes sint in potestate testatoris: *Sextò*, quòd omnes sint instituti, vel exhæredati.

Forma hujus substitutionis est hæc: *Antonium, &*

*Joan-*

*Joannem filios meos impuberes mihi hæredes instituo, & eos ad invicem substituo.*

Effectus hujus substitutionis est, quòd si Antonius hæres erit, & in pupillari ætate decesserit, Joannes supervivens vocatur jure directo, & eodem modo, si Joannes erit hæres, & in pupillari ætate decesserit, Antonius supervivens vocatur jure directo, & in utroque casu excluditur mater, & cæteri ab intestato venientes, propter effectum pupillaris expressæ, & exinde resultant duæ pupillares expressæ, una scilicet, in qualibet persona, & ambæ sunt expressæ quoad effectum, licèt non quoad verba.

Resultant similiter ex breviloca duæ vulgares, una nempe in qualibet persona; nam si unus eorum hæres non erit, quia noluerit, vel non potuerit, alter est hæres per effectum vulgaris.

§. VI.

DE COMPENDIOSA.

**C**ompendiosa substitutio est: *Illa, quæ fit à parentes generis masculinis liberis impuberibus, in potestate existentibus institutis, vel exheredatis, per hoc adverbium quancumque, verbis directis, & non inflexis, substituo, & sine liberis penitus omissis, quæ si fiat, expressæ pupillaris habet effectum, aliàs ad fideicommissum reducitur, & quæ pubertatis adventu tollitur, & expirat.*

Appellantur compendiosa, quia sub compendio verborum plurà tempora, & plures substitutiones complectuntur.

Forma est hæc: *Antonium filium meum impuberem hæredem instituo, & si decefferit quodocumque, Petrus sit hæres.*

Et licet prædicta substitutio ex sui natura simpliciter directæ sit, attamen aliqua possunt in ea verba, vel conditiones apponi, vel aliqua immutari, quæ in fideicommissariam eam cõvertent, & ad jus, & naturam fideicommissi reducent, quæ capies ex sequentibus quatuor formis.

Prima forma substitutionis compendiosæ, quæ per hoc verbum *substituo*, in fideicommissariam convertitur: *Et si dictus filius meus quodocumque decefferit, Petrum substituo*; nam hoc verbum *substituo* trehit hanc substitutionem totaliter ad fideicommissum, & adverbium *quodocumque*, in hoc casu servat ejus propriam significationem, & respicit omne tempus, & quocumque tempore institutus moriatur, sive in pupillari, adulto, vel majori, tenetur hæreditatem post mortem substituto restituere, deducta Trabellianica, & si de liberis sit, legitima.

Sed adverte, quòd quamvis in prædicta forma simpliciter dicatur *quodocumque*, attamen si institutus erat filius testatoris, tacitè subintelligitur conditio, *si sine liberis*, quia non est verisimile, quòd testator voluerit hæreditatem suam ad extraneum pervenire, exclusa prole sua, secus enim in extraneo instituto.

Secunda forma substitutionis compendiosæ, quæ per clausulam *si sine liberis*, in fideicommissariam convertitur: *Et si dictus filius meus decefferit quodocumque sine liberis, Petrus sit hæres*: Et licet illa verba Petrus sit hæres directæ

recta sint, tamen virtute verborum *si sine liberis*, trahuntur ad fideicommissum, & quia innuunt, quòd si in pupillari ætate, in qua liberos habere non potest, sive etiam postea *quandocumque sine liberis* moriatur, videtur esse rogatus per fideicommissum hæreditatē restituere post mortem, sive substitutus sit de filiis testatoris, sive extraneus, deducta Trabellianica, & si de liberis sit, etiam legitima.

*Tertia* forma substitutionis compendiosæ, quæ per verbum *substituo*, & per clausulam *si sine liberis*, in fideicommissariam convertitur: *Et si dictus filius meus deceaserit quandocumque sine liberis, Petrum substituo*, quæ quidem forma omni tempore est fideicommissaria, & idem jus, & eundem effectum habet, ut prædictæ aliæ duæ.

*Quarta* forma substitutionis compendiosæ, in qua fit mentio de pupillari ætate *Et: si dictus filius meus deceaserit in pupillari ætate, vel postea quandocumque sine liberis, Petrum substituo*, sub qua tres comprehenduntur substitutiones, una pupillaris expressa, alia vulgaris tacita, ex ea dependens, & alia fideicommissaria, quarum quælibet suum gerit officium, seu effectum.

Sed *nota*, quòd hujus quartæ formæ substitutio fieri non potest, nisi filiofamilias pupillo, in potestate testatoris existenti propter pupillarem expressam, quæ continetur in ea, & ut apertius, clarius ex prædicta forma consurgant dictæ tres substitutiones, ita dices: *Petrum substituo vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum*, cujus virtute valevit substitutio, juxta illas tres species, quam-

quamvis vi verborum convenire non videatur, facietque, ut ex qualibet, cujus casus evenerit, hæreditatē capere possit substitutus ad ejus libitum.

---

## CAPUT V.

## DE CODICILLIS.

Continet duo Paragraphos.

1 De Codicillis.

2 De Clausula codicillari.

## §. I.

## DE CODICILLIS.

**C**odicilli sunt: *Quædam ultima voluntatis dispositio, sine hæredes institutione*; quæ diffinitio per se patet, & solum est notandum, quòd codicilli plurali numero semper latinè proferuntur, & dicuntur quasi parvi codices respectu testamenti, quod magnus codex dici potest.

Possunt fieri codicilli ante, & post testamentum, nullo condito testamento, & post testamentum, vel codicillos, & si codicillans sine testamento decedat, omnes codicilli valebunt, nisi quatenus contrarii sint, tunc enim posterioribus statum erit.

Codicilli conveniunt cum testamento in septem: *primò*, quia qui possunt testari, possunt codicillari; *secundò*, quia sicut in testamento nominantur executores, ita & in codicillis; *tertiò*, quia sicut legatur in testamento, ita & in codicillis; *quartò*, quia sicut testamentum morte confirmatur, ita & codicilli; *quintò*, quia ambo fiunt nuncupativè, vel in scriptis; *sextò*, quia ambo aperiuntur,

tur, & publicantur eodem modo; *septimò*, quia ambo infirmantur eodem modo.

Differunt verò in aliis septem: *primò*, quia in testamento potest fieri utraque substitutio, directa scilicet, & fideicommissaria; in codicillis verò solummodò fideicommissaria, & si fiat directa, reducitur ad fideicommissum; *secundò*, quòd in testamento potest fieri exhæredatio, in codicillis non; *tertio*, quòd in codicillis non potest adjici conditio hæredi, qui purè in testamento scriptus est, in testamento autem sic; *quartò*, quòd in testamento requiruntur de Jure Communi septem testes masculi, & rogati, in codicillis verò solùm quinque, inter quos mulier admittitur; *quintò*, quia nemo decedit cum duobus testamentis validis, bene verò cum multis codicillis; *sexto*, quòd in codicillis hæreditas neque dari, neque adimi potest, quod fieri potest in testamento; *septimò*, quòd in codicillis solum possunt revocari substitutiones in testamento positæ, dempta exemplari.

## §. II.

### DE CLAUSULA CODICILLARI.

**C**lausula codicillaris, seu finalis est illa, quæ apponitur in testamentis, & codicillis, sub his vocibus: *Eaquesta es la mia ultima &c.* & est valdè utilis & necessaria nam per illam providetur multis periculis, quorum incurfui ultima hominum voluntas subjacere potest, nam si testamentum defectu substantiæ, vel solemnitatis laborat, tunc ultima voluntas neque jure testamenti, neque jure

jure codicillorum velet, non jure testamenti, propter defectum, & non jure codicillorum, quia de voluntate testatoris, non apparet, quòd codicillos facere voluerit, neque semper exprimenda est illa clausula: *Si no val, ò no valdrà per dret de testament, valga per dret de codicil, ò per aquella especie de ultima voluntat, que millor en dret valer podrà*; tunc enim per hanc clausulam, testatorem videtur ostendisse voluntatem suam, ut testamentum valeat meliori modo, quo valere possit, & propter expressam testatoris voluntatem resurgit testamentum in jus codicillorum, dummodo adsint solemnitates in codicillis requisitæ, quòd aliter (omissa dicta clausula) non resurgent, quia *dispositio hominis tantummodo restringitur ad primum actum*.

*Nota*, quod dixi, *si no val, ò no valdrà*, nedum in præsentis tempore, sed in futuro, nam si testamentum postea rumpatur nativitate posthumi, verba *no valdrà* facient illud valere jure codicillorum, quod non, eveniret, si concepta esset solum per hæc verba *si no val*, quæ sunt præsentis temporis, & non possunt extendi ad futurum.

Operatur clausula codicillaris quatuor potissimè notabiles effectus; *primò*, quòd legata, & fideicommissa ex testamento valeant; *secundò*, quòd institutio in testamento scripta, licèt directà sit, convertatur in fideicommissum; *tertiò*, quòd dicta clausula posita in secundo testamento invalido, tollit primum testamentum quo ad legata; *quartò*, quòd regulariter operatur repetitionem legatorum à venientibus ab intestato; & dixi regulariter, quia fallit

aliquando, quod non pertinet ad Notarios,

C A P U T VI.

DE DONATIONE CAUSA MORTIS.

Continet duo Paragraphos.

- |   |                            |  |   |                                   |
|---|----------------------------|--|---|-----------------------------------|
| I | De Donatione causa mortis. |  | 2 | De Testibus ultimarum voluntatum. |
|---|----------------------------|--|---|-----------------------------------|

§. I.

DE DONATIONE CAUSA MORTIS.

**D**onatio causa mortis est: *Quadam ex mortis, vel alterius instantis, seu futuri periculi consideratione, vel metu, dispositio ultima voluntatis.*

Et licet hæc donatio quodam modo videatur contractus, vel pactum, eò quia vel per traditionem, vel per pollicitationem, vel per stipulationem fieri debet, nihilominus censetur ultima voluntas, quia metu fit mortis, & ea præcipua intentione, ut si donator supervivat donatario, rem donatam ad ipsum redire vult.

Præcipuè fuit inventa donatio causa mortis propter filiosfamilias, qui neque testari, neque codicillari possunt, & per hoc remedium possunt disponere, accedente tament paterno consensu, & non aliàs; & ut valeat hæc donatio à filiosfamilias facta, requiruntur quatuor; *primò*, quòd fiat patre permittente: *secundò*, quòd pater eidem nominatim, & expressè concedat licentiam donandi causa mortis: *tertiò*, quòd consensus patris præcedat, vel eodem contextu fiat, nam si ex intervallo fieret, necesse est,



est, quòd aliud per filiumfamilias fiat instrumentum, quo appareat, ipsum in donatione post patris consensum perseverare: *quartò*, quòd ille, cui donatur, sit præsens, aut Notarius pro eo stipuletur, & si filius familias dat causa mortis patri suo, requiritur Judicis decretum.

Tres sunt species donationis causa mortis; *prima* est, cum quis sola mortis cogitatione donat; *secunda*, cum quis imminente mortis periculo, ita donat, ut statim rem accipientis faciat; *tertia*, cum quis periculo mortis donat, non ut statim rem accipientis faciat, sed cum mors fuerit secuta.

Donationem causa mortis facere possunt omnes, qui de jure testari possunt, & amplius filiusfamilias, ut prædixi, ac etiam inter conjuges fieri potest, nisi pactum irrevocabilitatis contineat, quia per ipsum reduceretur ad donationem inter vivos.

Donari etiam potest omnibus illis, quibus de jure legari potest, & capacitas donatarii solum inspicitur tempore mortis, non tempore donationis.

De substantia hujus donationis causa mortis, sunt tres, scilicet, mortis causa, res donata, & consensus utriusque, & revocatur tribus præcipuè de causis: *Prima*, si donator infirmabatur, & ab ægrotudine convaluerit; *Secunda*, si prius quàm donator, decedat is, cui donatum est; *Tertia*, si donator, sive sanus, sive infirmus, pœniteat, cum ambulatoria sit hominis voluntas usque ad extremum vitæ.

Sed hoc est verum, nisi donator dixerit, se irrevocabiliter

liter donare velle, tunc enim nullo casu fit revocatio; nam in vim clausulæ irrevocabilitatis, debet censerī donatio inter vivos, & non donatio causa mortis, quod notandum est; ut ne temerè, & insequendo solum formularia, inserat Notarius clausulam irrevocabilitatis, nisi expressè sit, de mente, & voluntate donatoris.

## §. II.

### DE TESTIBUS ULTIMARUM VOLUNTATUM.

**O**Mnes ferè personæ, quæ activam testamenti factionem non habent, hoc est, illi, qui testari non possunt, neque passivam testamenti factionem habent, id est, testes in testamento esse non possunt; & dixi ferè, quia aliquæ sunt personæ, quæ licèt testari prohibentur, testes esse possunt in testamento, ut sunt filiusfamilias, pubes, monachus, & aliquando mulier.

Et è contra sunt etiam aliquæ personæ, quæ licèt testari possunt, testes esse prohibentur in testamento, ut sunt mulier, propter ejus fragilitatem, hæres scriptus, neque pater, qui habet hæredem in Potestate, hæredis frater, spurius testatoris, & de Jure Canonico, usurarius manifestus.

In quolibet testamento in scriptis, vel nuncupativo, requiruntur septem testes de Jure Communi; Sed in hoc Principatu Cathalonix duo testes sufficiunt ad testamenta, & ad omnes res; in testamento à cæco conditio, requiruntur septem testes legitimi, & scribere scientes, & similiter in codicillis ab eo conditis.

In codicillis nuncupativis à Jure Communi requiruntur

tur quinque testes ; inter quos & mulier admittitur , sed sufficiunt duo , ut dixi , in hoc Principatu ; si verò codicilli sunt in scriptis , debent esse scribere scientes.

In donatione causa mortis requiruntur etiã quinque testes.

Et omnes cujuscumque testamenti testes debet esse ore proprio testatoris rogati , nam hæc est una ex solemnitatibus testamenti , & est vera , & securio praxis , licet aliqui dicant , quod sufficit à Notario esse rogatos , & semper debet Notarius mentionem facere de testium rogatu , quia est solemnitas extrinseca testamenti , quæ si non apponatur , non præsumitur.



## LIBER QUARTUS.

### DE TERTIA PARTE ARTIS

NOTARIÆ,

SUPER JUDICIIS.

PROOEMIUM.



TERTIA Pars Artis Notariæ tractans de Judiciis per ordinem , in hoc Quarto Libro venit explananda ; sed tamen cum nulla super his certa possit abscribi regula , eò quia unaquæque Curia suum habet proprium stylum , & in Judicialibus est stylus Curiae omninò servandus , solummodò aliqua de Judiciis in genere breviter adducam

unico Capitulo, addendo in ultimo paragrapho aliquantulum doctrinæ super Exemplificationibus scripturarum, quæ tribus Notariæ partibus conveniunt.

CAPUT UNICUM  
DE JUDICIIS.

Subdividitur in tres Paragraphos.

1 De Judicio Civili.

2 De Judici Criminali

3 De Exemplificationibus.

§. I.

DE JUDICIO CIVILI.

**J**UDICIUM civile est: *Actus legitimus trium personarum, Actoris scilicet, Rei, & Judicis, & dicitur Civile, quia in eo agitur de re vel pecuniaria quæstione.*

Judicium est: *Justitiæ ministratio, quæ fit à Judice in causa coram eo proposita; & duplex esse dicitur; aliud petitorium, in quo principaliter agitur de proprietate, seu dominio rei; & aliud possessorium, ubi agitur de mera possessione, & istud est triplex, adipiscendæ scilicet, retinendæ, & recuperandæ possessionis.*

Actor est *qui agit, & dicitur Actor ab actione, ad agendum competenti, quia nemo sine actione experitur, & qui caret actione, à judicio repellitur: Actiones enim sunt principalia judiciorum fundamenta, & qui vult actione agere eam prius edere debet; nam actio, ut basis judiciis, subsistere, & præmitti debet, cum ubi fundamentum non est, desuper edificari non possit.*

Reus

Reus est: Ille, qui in judicio defendit, vel exceptiones apponit.

Judex est: Ille, cui data, vel delegata est jurisdictio, & juris obstaculum non habet.

Jurisdictio est triplex, alia *Ordinaria*, quæ à Papa, Rege, vel Civitate alteri datur, & est: *Quedam potestas de publico introducta, cum necessitate juris dicendi, æquitatis statuenda*; alia est *delegata*, quæ à Papa, Rege, Præsidente, Civitate, seu Judice ordinario, Pro aliqua causa alicui committitur; & alia est *Subdelegata*, id est, quando delegatus aliquem subdelegat.

Alio modo est duplex jurisdictio, voluntaria scilicet, & contentiosa. *Voluntaria* est illa, quæ fit de partium voluntate, ut in adoptione, & manumissione; *contentiosa* verò est illa, quæ fit in lite, & necessitate, nam Reus cogitur respondere, & Judex cognoscere, & pronuntiare secundum allegata, & probata, partibus ministrando justitiam, quæ est: *Constans, & perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuendi.*

In judicio interesse non possunt, cæcus, nisi ratione alimentorum, filius familias cum pater, nisi pro alimentis, & venia prius petita, & obtenta, neque cum extraneo, sine patris consensu, ab quamlibet causam specialiter præstito, nisi pro re castrensi, seu quasi, filius, vel nepos etiam emancipatus, contra patrem, vel avum, nisi venia prius petita, & obtenta, minor vincti quinque annis, sine curatoris auctoritate, furiosus, durante furo-

re, Religiosus, nisi cum Superioris licentia, excommunicatus, seu bannitus, agendo tamen, bene verò defendendo, & servus, nisi pro alimentis, seu libertate sibi legata.

Ordo judiciarius est, quòd Reus citetur, libellus offeratur, de calumnia juretur, testium depositiones conscribantur, & publicentur, instrumenta producantur, sententia scribatur, à Judice proferatur, & executioni mandetur.

Citare Reum est ipsum in judicium vocare, ut veniat coram Judice responsurus, ad hoc, ut merita Causæ partium assertionem pandantur; & sit citatio per medium Nuntii, seu per litteras, vel cartellum. Citatio enim est: *Fundamentum ordinis judicarii, & ab ea incipit judicium*, nam actus, qui fit sine citatione, non valet, nisi fit in exigendis tributis, taschis, & collectis, & functionibus fiscalibus, aut debitis à Reo guarentigiè firmatis.

Juramentum calumniæ continet sequentia: *Illud juretur, quod sibi justum esse videtur, & si quareretur verum non inficietur, nihil promittetur, ut falsa sententia detur, ut lis tardetur, dilatio nulla patetur, & istud juramentum non potest per pactum remitti.*

Aliquando Reus, post citationem sibi factam, venit in judicium, deducens aliquam exceptionem; quare sciendum est, quòd exceptio, alia dicitur *exceptio juris*, quæ est *actionis excusatio*, & alia dicitur *exceptio facti*, quæ est *defensio Rei contra intentionem Actoris*.

Item exceptio, alia est *declinatoria*, per quam recusatur Judicis persona, & ejus jurisdictio, & audientia;

& alia est *peremptoria*, quæ semper agentibus obstat, & omni tempore nocumentum præstat.

Litis cōtestatio est: *Negotii principalis hinc inde apud Judicem facta narratio*, & illius effectus est, quòd qui litem contestatur, efficitur dominus litis, quod antea non erat.

Solet aliquoties Judex litigantibus præcipere, ut satisfident, vel caveant, & idè est notandum, quòd satisfacere est *securitatem cum fidejussoribus præstare*, & cavere est *securitatem solis verbis, aut juramento præstare*.

Dilationes dantur, ut Judex instruat de veritate, nam dilatio est: *Terminus, qui gratia producendorum testium, & inveniendorum instrumentorum à Judice partibus datur, atque conceditur*.

Testes esse nō possūt in judicio impubes, servus, patronus contra servum, hæreticus, parentes pro filiis, filii pro parentibus, domestici, infames, & incarcerati, meretrices, condemnati de falso testimonio, excecutores negotiorum, Advocati in eisdem causis, neque conactores, seu correi.

Debent testes, ante depositiones suas, jurare juxta Juris formam in manu Judicis, seu Scribæ Causæ si isti per illum committitur; & licèt citatio testium à Jure non est necessaria, attamen propter stylum, & praxim Curiarum, non potest omitti, & major fides adhibetur testi citato.

Assuetum est, quòd Judices in Civilibus committant Scribæ Causæ examina, & receptiones testium, & quidem hæc materia est periculosissima, si Notarii non sunt

periti; oportet namque ita percipere interrogationes, & testium responsiones, ut non aliud extra quæsitum in depositione scribatur, namque aliter suspectus fit Notarius, & suam conscientiam gravat. Audite pro instructione vestra casum ridiculum, quem legi scriptum in quodam Processu. Quidam testis fuit interrogatus super promissione verbali, quam Petrus contraxit Joanni, de solvendo certam summam, & Notarius ita scripsit in depositione: *Que el testigo habia visto como Pedro prometió à Juan &c.* & quia verba, non visui, sed auditui subjacent, nullam probationem ille testis adhibuit, & hoc propter Notarii ignorantiam.

Multi sunt Notarii, qui scribunt, se interrogasse testes super generalitatibus legis, & non pauci ignorant, quæ sint generalitates istæ, & tutius est, ut ita scribantur.

Generaliter autem fuit interrogatus ipse testis, si fuit instructus, doctus, corruptus, vel subornatus, pretio, aut precibus inductus, pro hujusmodi testimonio perhibendo?

Et dixit, quòd non.

Interrogatus si deposuit odio, amore, timore, favore, rencore, bona, vel mala voluntate alicujus dictarum partium?

Et dixit, quòd non.

Interrogatus si est de parentela, vel affinitate alicujus dictarum partium?

Et dixit, quòd non.

Interrogatus, quam partem mavult obtinere in causa?

Et dixit, quòd potiozem in jure.

Interrogatus si est perjurus, vel excommunicatus?

Et dixit, quòd non.



*In interrogatus si fuit citatus pro hujusmodi testimonio?*

Et dixit, se fuisse citatū per T. Nuntiū præsentis Curia.

Confessio judicialis est: *Certa, & clara asscuratio; vel responsio ejus, de quo queritur in judicio, coram legitimo Judice facta.*

Interdum solet peti visura in causis, quibus agitur de idempnitate, seu confinibus alicujus prædii, nam visura est: *Certa probatio, & melior, quæ sit per rei evidentiam, & oculorum inspectionē, quæ omne genus probationis vincit.*

Ad actum visuræ concurrunt in locum quæstionis Judex, Actor, & Reus, istique, cum suis respectivè Advocatis, & Procuratoribus, & Advocatus patris, quæ istavit visuram, ordinat deductiones, & articulos, & eas, & illos ponit in posse Scribæ Causæ, & pari modo Advocatus Rei defensionibus, causa adversus eum, cum quo agitur, excipit cum deductionibus, & articulis, & si negotii causa id postulat, Advocatus Actoris, adjuvando priores, secundas allegationes cum deductionibus, & articulis replicando proponit, quibus Advocatus Rei, etiam cum deductionibus, & articulis respondet, quæ duplicatio vocatur, & non amplius admittitur, de quibus omnibus Scriba Causæ copias suscipit, unam pro utraque respectivè parte, & alteram pro processu, itaut tam Actor, quàm Reus de ductionibus, & articulis omnibus in visuram præsentatis integram copiam recipiant; deinde quælibet pars super articulis testes ministrat, ac Proceres, seu expertos nominat, & Judex tertium (si opus est) ex officio

cio deputat, & Notarius Scriba Causæ instrumentum conficit de præmissis; nam licet in scriptis præmissa tradantur, actus visuræ est verbale iudicium.

*Nota*, quod cautum est, & quidem sanè, ut nedum Iudex iuramentum à Proceribus exigat, sed etiam eorum relationi, vel unicuiusque (si sint discordes) ipse Iudex se scribat.

Sententia est: *Quodcumque iudicantis præceptum non naturæ, non bonis moribus, aut juri contrarium; & alia est interlocutoria, quæ super incidenti aliquo, vel emergenti fertur, & vim rei iudicatæ non obtinet; alia est definitiva, quæ finem liti imponit.*

Sententia *in rem iudicatam transacta, de albo facit nigrum, æquat quadrata rotundis, habet pro se præsumptionem juris, & de jure, & est quasi altera natura, quæ nulla valet ambiguitate turbari.*

*Nota*, quod suprâ dicitur *presumptionem juris, & de jure*, quæ est conjectura efficacissima, ad differentiam conjecturæ Juris tantùm, quæ solùm attingit probabilitatis terminum; illa enim dicitur *juris, & de jure*, scilicet *juris*, qui à lege dependet, & *de jure*, quia super isto tanquam in fundamento nititur.

In qualibet sententia requiruntur nomen Iudicis nomina litigantium, relatio libelli, narratio processus, & condemnatio, vel absolutio, & quartum citatio.

Appellatio est: *Sententiæ à minore Iudice latæ per invocationem majoris Iudicis, pretextu erroris, vel iniquitatis primæ sententiæ, facta relatio.*

Effectus appellationis est : *Quaedam potestas , per quam executio primæ sententiæ à Judice inferiore lata, per superiorem tollitur, & suspenditur per inhibitionem.*

Ab interlocutoria sententia non licet appellare, nisi ita grave damnū cōtineat, quod sit irreparabile in diffinitiva; ab ista verò benè appellatur: sed si lata est super quantitate minori mille librarum, solum habet appellatio effectum devolutivum, & non suspensivum, & per consequens ipse Judex, qui protulit sententiam, potest ipsam executioni mandare, præstita prius ab Actore idonea fidejussoria cautione, juxta formam Constitutionum nostrarum.

Interposita appellatione, debet is, qui appellavit, ad Judicem adire superiorem intra fatalia, hoc est, infra annum regulariter, aliàs manet appellatio deserta, & habetur pro non interposita, nam *appellationis desertio arguit litis renuntiationem*, & prima sententia remanet firma, ita ut primus Judex eam executioni demandare valet, & desertentem in expensis condemnare.

Dixi, quòd fatalia pro appellatione sunt unus annus, regulariter, quia possunt excedere annum in aliquibus casibus, qui non attinent ad nos Notarios, sed ad Jurisperitos.

Executio est *Actus præbens rigorem sententiæ, & dominium transferens in accipientem.*

## §. II.

### DE JUDICIO CRIMINALI.

**C**riminalis judicium idè dicitur, quia in eo agitur de criminibus puniendis, nam crimen, aliud est *publicum,*

*cum*, cujus punitio ad publicam spectat utilitatem; aliud est *privatum*, cujus punitio petitur ad illis personis, quibus illatum est; aliud est *capitale*, quod morte afficit delinquentem; & aliud *non capitale*, quod solum pecuniaria pœna afficit delinquentem.

Accusator est: Ille, qui aliquem reum criminis per libellum facit, & vindictam de eo fieri postulet; & possunt accusare majores, & minores, dummodò sint doli capaces, & requiruntur in accusatione nomen accusatoris determinatum, nomen accusati declaratum, & crimen perpetratum.

Capitis diminutio est: *Prioris status mutatio* & est triplex: *maxima*, cum quis Civitatem, & libertatem simul amissit, ut damnatus ad mortem, vel servus; *media*, cum quis Civitatem solum, & non libertatem amissit, ut deportatus; & *minima*, cum quis Civitatem, & libertatem retinet, ut in homine suis juris, qui factus est alieni.

Et licet alia super criminali judicio adducere possem, scienter omitto, cum magis ad Judices, quàm ad Notarios illius pertineat Theorica, Judices enim ferè semper dictant, & ordinant processus criminales, & in omnibus interfunt, à quibus tanquam in Jureperitis, Notarii praxim habebunt.

### §. III.

#### DE EXEMPLIFICATIONIBUS.

**E**xemplificatio, seu exemplatio nihil aliud est, quàm scripturam facere similem illi, à qua sumitur exemplum;

plum; unde sciendum est, quòd exemplar dicitur ipsa originalis scriptura, quæ est genus, ex quo generatur, & sumitur exemplum, quod quidem exemplar appellatur etiam originale, & auctenticum; Exemplum verò dicitur illud, quod sumitur ex scriptura exemplata, generata, vel sumpta ex originali scriptura, quare dantur hi versus.

*Exemplar genus est, exemplum quod trahis inde,*

*Exemplar generans, exemplum quod generatur.*

Et super his notandum est, quòd Notarius, aliquam scripturam exemplans, non potest aliquid addere, vel minuere de contentis in exemplanda scriptura, quod sensum mutet, vel intellectum variet; taliter quod, si aliquam-bis positam litteram, vel syllabam in ea invenerit, & ipse bis ponat, & si bene, vel malè in latinitate, vel aliàs aliquod verbum pronuntiatum contineat, ita scribat, licet dictiones longas cæterare, vel abbreviare poterit, & è contra; curet autem Notarius, ut scriptura, quam exemplare rogatus fuerit, seu verius ipsius originale, sit omnino integra, & incorrupta, ac sine macula, & vituperatione, nam si aliter fuerit, nullatenus exemplare debet, quia si ipsi originali fides dari nequit, quomodò danda erit exemplo ab eodem extracto? *Columniosam enim scripturam vim obtinere non licet.*

Et non in comprobatione festinet, sed ita paulatim exemplum conferat cum originali, ut nec illud in minimo discedat ab isto, *etenim in Notarii fide, & diligentia positum est, ut in manus hominum quam emendatissimè veniat.*

Per dispositionem nostrarum Constitutionum ad hoc ut exemplum, seu transumptum juridicum sit, ultra auctenticationem concordantiae, quam Notarius præbet exemplans, necessarium est, ut illud pariter attestentur duo alii Notarii, & non obstante hac cautela, si exemplum est ab exemplo sumptum, non bene recipitur in iudicio, si est tertium exemplum, fides ei minuitur, & si quartum omninò rejicitur, & hoc propter imminencia pericula in transumptorum iteratione.

Hæc sunt, charissimi Adolescentes, primæva Notariæ Artis rudimenta, in vestri favorem compilata; curate ea menti tradere, atque retinere, ut finem, ad quem tenditis, assequamini, perpendentes, quò officium Notarii publicum est, & Republicæ necessarium, quodque ignorantia Notarii nedum Republicam destruunt, sed etiam ipsum Notarium Divinæ, & Humanæ punitionis efficiunt condignum; & ut finem imponam, ea, qua peropto utilitate, adduco vobis in mentam illa, quæ protulit præstantissima verba Augustus Romanorum Imperator Maximilianus, in sua novella Constitutione super exercitio Artis Notariæ, edita in Civitate Colonensi 8. Octobris 1512. ibi: *De præmissis igitur tanquam pro generalioribus principiis, atque cunabulis quibusdam traditis non stent adeo contenti Notarii, quin in dies discant, & advertant alia jura circa Tabellionatus officium tradita, & quæ secundum locorum, in quibus actus hujusmodi geruntur consuetudines, introducta sunt, & circa difficultates, & ambiguitates*

*vetis in actis coram se gerendis pro casuum varietate, & diversitate, quandoque occurrentes, AD PERITIORES RECURREANT, ne imparitia, culpaque eorum aliis noceat, quia de his tenentur, ut supra monstratum est. Non vos pudeat, dum fueritis laureola Notariæ insigniti, in difficultatibus vestris ad Peritiores recurrere, quinimò vos errare pudeat, vestraque temeraria fidentia contra-hentes damnificare: Sanè quidem Ego, post sex lustra, quæ versor in Notaria, libentissimè confiteor, & non me confiteri pudet, quòd multoties in ambiguitatibus meis suppliciter solutionem sciscitor abs Discretis Notariis Barcinonæ, quos in mei Magistros revereor ingenuè, & ita, dum vita fruar, facere non prætermittam. Placeat Omnipotenti, ut hoc meum Opusculum ipsi cedat in gloriam, Reipublicæ in utilitatem, ac in vestri intellectus illuminationem.*



**FINIS.**

# REALES ORDENANZAS

ESTABLECIDAS EN EL PRINCIPADO DE  
Cathaluña, para el exercicio, y practica  
del Arte de Notarià.

## ADVERTENCIA.



N muchas partes de este Compendio ha sido preciso referirme à diferentes Reales Ordenanzas, establecidas para el exercicio, y practica del Arte de Notarià, las quales deve todo Notario tenerlas muy presentes, y radicalmente entenderlas, pues ellas son la basis, y principal fundamento del Arte; y considerando, que algunos se contentarian con la corta noticia de la cita, que hago en la parte, que corresponde à cada una, y por lo mucho que deseo la mas cabal instruccion de los Principiantes de Notarià, para aprovechamiento de los quales he compendiado estos primeros rudimentos, me ha parecido muy conforme al intento trasladarlas aqui à la letra, y antes del Indice, junto con la Real Pragmatica de Reduccion de Censales, y su declaracion, que son las siguientes,



REALES ORDENANZAS DE 29. DE NOVIEMBRE  
de 1736.

**D**ON Ignacio Francisco de Glimes de Brabante, Conde de Glimes, Baron de Samar, Señor de la Felize, Limelet, La Nefse, San Mars, y Ameè, Fraile la grande, Dorina, y Sohet, Comendador de Belvis de la Sierra en la Orden de Alcantara, Theniente Coronel del Regimiento de Reales Guardias de Infanteria VValona, Capitan General de los Exercitos de S.M. y de la Provincia de Extremadura, y Governador y Capitan General Interino del Exercito, y Principado de Cathaluña &c.

Por quanto Su Magestad ( que Dios guarde ) informado de algunos abusos, que se havian introducido en el exercicio, y practica del Arte de Notaria, se ha dignado para su exterminio, con Real Despacho de veinte y nueve de Noviembre proximo passado, aprobar, y establecer algunos Capítulos, y reglas, que afiancen la mayor legalidad en los contratos, y la utilitat publica, è interesses, y derechos de los particulares contrahentes; Y deviendo Nos zelar al mas puntual cumplimiento de las Reales Ordenes de S.M. Por tanto, conferida la materia en la Real Audiencia, è insiguiendo lo acordado en esta con tenor de la presente; Ordenamos, y Mandamos à todos los Notarios, y otras qualesquier Personas de este principado, de qualquier grado, y condicion, que sean, à quienes lo contenido aqui toque, y

tocar

tocar pueda en qualquier manera , que en el uso de sus Officios guarden , cumplan , y observen lo dispuesto por S. Mag. en los Capítulos siguientes, bajo las penas , que en ellos se prescriben.

1. Primeramente , que cada uno de dichos Escrivanos , deba tener , y tenga un libro Manual , ò Protocolo enquadernado, de el Papel de el Sello quarto , en el qual deba escribir , y escriba por extenso , sin etceteras las notas de las escrituras, que ante el passarent, y se huvieren de hacer, en la qual dicha nota se contenga toda la escritura, que se huviera de otorgar por extenso , declarando las personas, que la otorgan, el dia, mes, y año , y lugar donde se otorgan, y lo que se otorga , especificando todas las condiciones , y partes, clausulas, renunciaciones, y submisiones, que las dichas partes convinieren : Y que assi como fueren escritas dichas notas , los referidos Escrivanos las lean presentes las Partes, y los Testigos , y si las Partes las otorgaren , las firmen de sus nombres , y apellidos , y si no supieren firmar , firme por ellos qualquier de los Testigos , ò otro que sepa escribir , y el Escrivano haga mencion , como el Testigo firmò por la parte, que no sabia escribir, exceptuando de lo dispuesto en este Capítulo à los Escrivanos Collegiados , porque estos en el modo de firmar las Escrituras de contratos , y ultimas voluntades , que los contrahentes , y testadores otorgaren, y leerla à estos, y escribir sus notas en los Manuales , ò Protocolos, en el tiempo, que se dispone en la

Consti-

Constitucion 4. del titulo 13. de los Notarios, y Escrivanos del Libro quarto, estos lo han de practicar como hasta haora, sin hacer novedad, observando la misma forma y methodo, que hasta aqui, conforme à la referida Constitucion. (A)

2 Que si leyendo el dicho original de la Escritura, se quitare, ò añadiere alguna cosa, que el Escrivano lo haya de salvar, y salve al fin de la escriptura antes de las firmas, para evitar la duda, que suele haver, dicha enmienda es verdadera, ò no.

3 Que el Escrivano no dè escriptura alguna, signada con su Signo, sin que primeramènte al tièpo de otorgar de la nota, hayã sido presentes las dichas partes, y Testigos, y firmado, como dicho es; y que en las escripturas, que assi diera signadas, ni quite, ni añada palabra alguna, de lo que estuviere en el Manual, Prothocolo, y Registro, salvo la subscripcion; Y que aunque tome las tales escripturas por registro, ò Memorial, ò en otra manera, que no las dèn signadas, sin que primeramente sean assentadas en el dicho Libro Manual, ò Prothocolo; Y se haga todo lo susodicho, baxo la pena, que la escriptura, que de otra manera se dièsse signada, sea en si ninguna, y el Escrivano, que la hiciera pierda el Oficio, y quede inhabil para hacer otro, y sea obligado à la parte à pagar el interès. En-

ten-

---

(A) Està quintada esta excepcion; veanse los Capitulos 2. y 3. del Reglamento de 24. de Julio de 1755.

tendiendose este Capitulo , en quanto à que los Escrivanos no den signadas las escripturas , sin que primero estèn assentadas , y reguladas en sus Libros , Manuales , ù Prothocolos , con la misma excepcion , que expresa el Capitulo primero de los Escrivanos Collegiados. (B)

4 Que todos los Escrivanos signen los Manuales , ò Registros de escripturas , que hicieren , y ante ellos passaren , para excusar ladificultad , que hay en everiguar la letra de los Registros , despues de su muerte.

5 Que los Escrivanos tengan dichos Manuales , Prothocolos , ò Registros cosidos en buena forma , y sean obligados en fin de cada un año tener signadas cada una de las escripturas , que ante ellos passaren , ò à lo menos firmadas de su firma , y al fin de todo un Signo. (C)

6 Que el Escrivano , que no conociere à alguna de las partes , que quisiere otorgar algun contrato , ò escriptura , que no la haga , ni reciba , salvo si las dichas partes , que assi no conociere , presenten dos Testigos , que digan , que los conocen , y en este caso haga mencion de ello al fin de la escriptura , nombrando los Testigos , y sentando sus nombres , y de donde son vecinos , y no haciendose esta expressiõ , se haya el otorgante por conoci-

---

(B) Tambien està quitada esta excepcion , vease el Capitulo 8. del citado Reglamento de 1755.

(C) Veanse los Capítulos 7. y 14. del mismo Reglamento de 1755.

nocido del Escrivano , y venga à su cargo , dandose por nulos los autos , que sin esta circunstancia se otorgaren; Y si el Escrivano conociere al otorgante , dè fee en la subscripcion , que le conoce.

